

3986. 9. 2.
EXERCITATIO JVRIS
DE
**LEGITIMATIONE PER
RESCRIPTVM
PRINCIPIS**
PRAESIDE

MARTINO GOTTLIEB PAVLI

JVR. VTR. D. JVR. ET HISTOR. PROF. PVBL. ET ATHEN. INSPECT.

DIE XXVII. APRILIS C¹O CC LVI.

IN AVDITORIO MAXIMO

AD DISCEPTANDVM PROPOSITA

AB AVCTORE

JOANNE NATHANAEL SCHVLTZE

GEDANENSI.

G E D A N I

TYPIS THOMAE JOANNIS SCHREIBERI, SENATVS
ET ATHENAEI TYPOGRAPHI.

EXPOSITIONE LARIS

30

LEGITIMATIONE PER

RESCRIFTVM

PRIVATIS

PARISIENSIBUS

MARINO GASPARETTI

LEADERA LIBERIS INSTITUTORUM ET VENDEO LIBRARIA

DIETRICH WILHELMUS CORDICUS

IN AUDITORIO MARZIO

DE LIBRIS MUNDI TRADITIONIBUS

LIBRARIIS ET LIBRARIIS

JOANNES MARANTAS SILENTIUS

OPUS

LIBRARIIS

LIBRARIIS

LIBRARIIS ET LIBRARIIS

LIBRARIIS ET LIBRARIIS

INCLYTAE
REIPVBLCICAE GEDANENSIS
SENATVI MAGNIFICO
ATQVE
ILLVSTRI
PATRIBVS PATRIAEC
IMMORTALEM VIRTUTIS AC VIGILANTIAE
GLORIAM LONGE MERITIS

MAECENATIBVS
AD CINERES VSQVE VENERANDIS
SVPICIENDIS COLENDIS

HANC DISSERTATIONEM JVRIDICAM
TANQVAM PIETATIS
M O N V M E N T V M
VOTIS CASTISSIMIS
PRO EORVM SALVTE AC PROSPERITATE
PERPETVA ET DIVTVRNA
NVNCVPATIS
WAFCENTIBAS
AD CINERES AGRAE ALLEGANDAS
A V C T O R . 1783

*Viri Illustres atque Magnifici
Patroni summa pietate colendi.*

Q uam nunc ILLVSTRIBVS & SPLEN-
DIDISSIMIS NOMINIBVS VE-
STRIS inscriptam, vel vi Latinis visita-
tore dicandi formula utar, nuncupatam
intuemini dissertationem PATR̄ES CONSCRIPTI,
eam quidem ego VOBIS ab eo statim die, quo summam
maximamque VESTRAM in me expositissime voluntatem in-
opinato quasi expertus fueram, dicandam consecrandamque
mecum statuebam; ipsam vero tacite a me factam deuotio-
nem praestare illiusue obligationis vinculo liberatum me fa-
cere, baut quidem mihi prius, quam ipso negotio consum-
mato

mato licitum atque permisum fuit. Neque enim, quod
quam certissime VOBIS persuasum habeatis velim, majus
quidquam a VOBIS mibi tribui concedique potuit, quam
quidem hoc ipsum, quod, cum miki ex sapientissimo licet &
satis aequo patriarcharum legum rigore, rationibus ut ipse meis
praeesset, plane interdictum esset, paucitate annorum
non obstante, legibus istis patriis exemptum me reddere atque
michi supplices ad libellos meos aetatis, ut ajunt, veniam in-
dulgere non dubitavisti. Tantum vero abest, ut tam mul-
to VESTRO & fere patro fauore prorsus indigne ornatus
videri velim, ut potius in referendam hanc VOBIS gra-
tiam, si modo ipsam VOBIS referre liceat, omne meum
studium, omnesque meas cogitationes intendam. Atque sic
ego, ut ab gratiarum actione ordiar, VOBIS PAT-
TRIAE PATRES INDULGENTISSIMI, PA-
TRONI OPTIMI, omnes, quas hinc inde debo, &
quas etiam statim VOBIS pro parte egi, gratias easque
immortales, quantum fieri potest, iterum nunc publice
ago; satis vero ornate cumulateque nullo modo agere pos-
sum. Enimvero quum praeterea aliud, nec nisi publicum
grati mei erga VOS animi ac in perpetuum duraturae pie-
tatis & obseruantiae meae monumentum exstare cupe-
rem; hanc meam Juris Exercitationem VOBIS
omni,

omni, quo decet reverentiae cultu dare, dicare, atque
dedicare volui, debuique. Quam pro solito more VESTRO benigne & humanitatis VESTRAE munia fronte
& VOBIS exceptam fore ita sumiteri niki persuasum
teneo, ut, nisi modestiae ac pietatis lex fecus praecep-
ret, vel sine precibus ipsam conspectui VESTRO offer-
re nullus erubescerem. Sed ne officio meo villa ratione de-
fuisse nec aliis, nec mihi meti ipsi videar, omnibus, qui
bus fieri potest, precibus VOS adeo atque imploro, ut
ne hanc mihi VESTRAM benevolentiam, ad quam
vix quidquam accedere posse facile crediderim, denegatam
faciatis. Ceterum, qui iam ego in confarctinandis colli-
gendisque vasis fere omnis detineor, me quoque absentem
VESTRAE benevolentiae, PATRES PATRIAE, sic
commendatum volo, ut, si NVMINI ita visum fue-
rit, aliquando in dulcissimam patriam meam redux fa-
etus me etiam adeo longo temporis intervallo ea, qua
nunc apud VOS fruor, gratia minus excidisse credere pos-
sim. Me autem quod attinet, omni, qua debeo, fide
polliceor atque promitto, nec quidquam mihi prius,
nec antiquius unquam fore, nisi ut VOS VESTRAE
indulgentiae nunquam poeniteat, & ne maximam sum-
mamque VESTRAM benevolentiam apud me male col-

locauisse


locuissē judicetis, insimul vero etiam DEVM T. O. M.
ardentissimis adoro supplicationibus, vt VOS Omnes
ac Singulos longe diuque sospites atque incolumes esse, vel
vii apud Romanos precandi mos fuit, annare & peren-
nare sinat. Ita vobis, ita precatur, ac ita se VO-
BIS commendat

Illustrium Vestrorum Nominum

cultor perpetuus & deuotissimus

Joannes Nathanael Schultze.

Q.D.B.V.



Q. D. B. V.
DE
LEGITIMATIONE PER RESCRIPTVM
PRINCIPIS.

§. I.
Instituti ratio.



Quotiescumque Jurisprudentiae hodiernae priuatae statum conditionem perpendo, id quod ego, qui Themidi me confecraui, saepius facere soleo; tam virorum, ob doctrinae praestantiam insignium & clavisimorum, auctoritas, quam praeterea etiam, quae omnium rerum optima est magistra, ipsa ratio in hanc me potissimum sententiam dicit, ut existimem, sola jura patria & domestica, insuper praeterea habitis istis, quae per plurimum saeculorum usum continuum sunt recepta, Juribus peregrinis Romanis, parvum hodie prodeesse ciuitatibus nostris; nudam vero Jurium peregrinorum cognitionem, sine solida jurium patriarchorum notitia, eorumque applicationem, ob rerum publicarum nostrarum ab illa antiqua Romana diuersitatem summam, haud raro maxime incongruam,

A

gruam,

gruam, obesse plerumque, prodesse nunquam. Quare, si quis,
 omissis rectissimis atque honestissimis Jurium priorum rerumque
 publicarum nostrarum studiis, omnem consumit operam in ad-
 quirenda Jurium Romanorum notitia, ut plurimum semidocta, is
 inutilis sibi & perniciosus patriae ciuiis alitur; qui vero ita se se ar-
 mat disciplinis solidioribus & humanioribus, vt, quae praeclare le-
 gibus patriis sunt constituta, probe intelligat, vbi deficiant Jura
 domestica, sciat, atque vbi, his deficientibus, peregrina in sub-
 fidium adhibere cogatur, ea tunc demum adhibeat, si rerumpu-
 blicarum nostrarum facies atque conditio eorum applicationem
 permittat, is mihi vir & suis & publicis rationibus utilissimus
 atque honestissimus ciuius esse videtur. Ad hujus itaque sententiae
 normam, simulac Jurisprudentiae operam dare incepit, omnes
 meos labores dirigere serio allaborauit. Cumque pro more bene
 quidem sapienterque a majoribus nostris recepto, sed utinam fre-
 quentiori, antequam patriam meam derelinquam exteriasque Aca-
 demias perpoliendorum studiorum gratia aedam, Dissertatione pu-
 blica atque solemini, partim, quid valeant humeri, quid ferre re-
 cussent, experiri, partim vero insimul patriae meae charissimae
 ultimum Vale dicere decreuerim; ejusmodi argumentum ad di-
 sputandum proponere studui, in quo elaborando qualisque
 meae Juris Scientiae, ad illius ab initio dictae sententiae normam
 ductumque formatae & adquisitae vultum quasi effigiemque ex-
 primere possem. Atque diu mihi multumque cogitanti varia qui-
 dem obuenerunt ejusmodi argumenta, de quibus justam meaeque
 juuenili aetati consentaneam disputationem scribere possem, ego
 vero omnibus probe expensis in eo tandem adquieui, vt *de Legiti-
 matione per rescriptum Principis nonnihil commentari susci-
 rem.* Haud equidem ignoro, doctrinam de legitimatione a Vi-
 ris doctissimis a) jam dudum cum cura esse expositam & per-
 tractatam.

a) Vid. v. gr. CHRISTIANVS THOMASIVS in Dissert. *de usu pra-
 Etico doctrinae Institutionum de Legitimatione.* Hal. 1713. FRAN-
 CISCVS HOTOMANNVS de Spuriis & Legitimatis. DESI-
 DERIVS HERALDV Rerum & Quæstionum Juris Quotidia-
 narum

tractatam. Enim vero, quis est, qui nesciat illud TERENTII: b)
Nullum est jam dictum, quod non dictum sit prius.

Deinde cum mei ingenii, meaeque hucusque adhibitae diligentiae specimen edere constitueram, ipsa aetatis meae ratio exigere videbatur, ut ejusmodi argumentum pertractandum sumerem, cui illustrando iam alii Viri doctissimi nonnihil operaem impendissent, e quibus proinde, quod quisque commodissime praeciperet, excerpere & quasi libare possem. Quia in re habemus bonorum exempla admodum multa, quibus nobis licere id facere, quod illi fecere, putamus, in primis cum hac in doctrina nonnulla occurrant, ab aliis Viris doctis non semper satis recte perspecta & explicata, in quibus corrigendis emendandisque proinde me qualisunque mei ingenii vires satis experiri & ostendere posse existimau. Ut autem statim intelligatur, quid sit illud, de quo disputabimus & qua via progressuri sumus, ne vaga erret disputatio nostra, ita quidem in ea versabimur, ut cum mores patrii, ut in aliis doctrinis quam plurimis, in hac quaestione multum abhorreant a decretis Juris Romani, primum quidem de hac quaestione ex Jure Romano disputemus, deinde vero, quid usus hodiernus rerumque publicarum nostrarum conditio ferat, exponamus. Id quod eo magis nobis faciendum videtur, quo magis, insuper habito & omisso hoc discrimine sub auctoritate Juris Civilis Romani, id quod saepissime fieri solet, perniciose erratur.

§. II.

Definitio Legitimationis.

Dicturi itaque de *Legitimatione per rescriptum Principis*, faciendum omnino esse putamus, ut quid sit *Legitimationis*, cuius illa,

A 2

*narum Libr. I. cap. I. II. III. IV. V. CVNRADVS RITTERS-
HVSIVS in Expositione Methodica Nouellarium Part. IV. cap. XII.
PETRVS GVDELINVS de Jure Nonissimo Libr. I. Cap. XV. XVI.
& alii.*

b) Vid. Prolog. in Eunuchum. vers. 41.

illa, quae fit per rescriptum principis, species est, distincte explicemus. Est autem Legitimatio *Actus*, jure civili introductus, quo liberi naturales illegitimi consentientes sunt legitimi, & deinde instar legitimorum rediguntur in patriam potestatem. Hoc igitur quasi introitu disputationis patescit, ingrediamur in ipsam quaestiones propositae summam, & paucis quibusdam de origine legitimationis ejusque variis speciebus praemissis, quid jure Romano de ea, quae fit per rescriptum principis, sit statutum, doceamus.

§. III.

*Ante tempora Constantini M. legitimationem
fuisse incognitam, ostenditur.*

Olim autem & in vetere Latio, quoad sua reipublicae Romanae constitit libertas, imo sub ipsis etiam Imperatoribus, quoad Romani castigatione purioreque latinitate vni sunt, & res, de qua dicimus, & illius nomen fuit incognitum. Non desunt qui dem, qui haec, quae dixi, pro parte negant, atque legitimationem satis antiquam eamque jam ante Constantini M. tempora, & in ipsa republica libera cognitam fuisse contendunt, atque hanc suam sententiam partim ex *Vlpiano*, partim per exempla hinc inde obvia probare volunt. Sed DOMITIVS VLPIANVS, c) vt ab

c) l. 46. D. de *Adopt.* Alias, quando loquitur VLPIANVS de Arrogatione, eam semper factam fuisse dicit *per populum*. v. gr. *Fragn. Tit. VIII. §. 2. 3.* & ita etiam CAJVS *Instit. Libr. II. Tit. III. §. 3.* Nec ita male. Etenim sub ipsis etiam Imp. ab initio facta est arrogatio lege curata per populum. Vid. SVETON. in *Augusto cap. 65.* TACITVS *Annal. Libr. XII. cap. 26. 41.* & GELLIUS *N. A. Libr. V. cap. 19.* & errant omnino, qui putant populum Romanum lege regia omne suum imperium & potestatem principi concessisse ita, ut omni prorsus jure & potestate flexueret, vti praecclare docuit GERARD. NOODT *Observat. Lib. I. cap. 3.* Fiebat autem his ipsis temporibus arrogatio etiam aliquando principis auctoritate & beneficio, non per

ab eo initium faciamus, in seruitute mea, inquit, quae situs mibi filius in potestatem meam redigi beneficio principis potest, non per legitimationem, sed per arrogationem. Certe JCTus legitimatio-
nis nullam plane fecit mentionem, & qui de ea illius verba intel-
ligunt, praesupponunt, his temporibus eam jam fuisse cognitam,
hoc exinde non probant. Deinde, exempla quod attinet, ea non
majoris sunt momenti. Referunt LIVIVS d) & ex eo CARO-
LVS SIGONIVS: e) Campanos petisse, ut sibi ciues Romanas
ducere vxores liceret, & si qui prius duxissent, ut habere eas, ET
ANTE EAM DIEM NATI, VTI JVSTI SVI LIBERI HERE-
DES QVE essent, & viramque rem esse impetratam. Praeterea MAR-
CIANVS f) Diuorum Fratrum retulit rescriptum, Flaviae Ter-
tullae per Mensorem libertum datum, in quo MARCVS & LV-
CIVS Imp. mouemur, inquiunt, & temporis diuturnitate, quo
ignara juris in matrimonio auunculi tui fuisti, & quod ab auia tua
collocata es, & numero liberorum vestrorum, idcirco, cum haec
omnia in unum concurrunt, CONFIRMAMVS STATVM LIBE-
RORVM

A 3

per populum, & non veluti in subsidium tantum, v. c. quando
arrogabatur femina, que per populum arrogari non poterat,
quia non habebat jura comitiorum, l. 21. D. de Adopt. sed &
alias, vid. TACITVS Hisfor. lib. I. cap. 15. Quodsi itaque VL-
PIANVS in d. l. 46. D. de Adopt. vere scripsit beneficio prin-
cipis, recte dixit, sibique non contradixit, neque de Legitima-
tione, sed vnice de Arrogatione haec illius verba sunt intelli-
genda, vti in §. probauit. Sed VLPIANVS fortasse, vti alias,
ita & h. l. beneficio populi scripsit, & TRIBONIANVS, quia, a
temporibus DIOCLETIANI demum apud unum principem
omnem resedisse arrogationem, docemur l. 6. C. de Adopt. loco
populi, dixit principis. Certe in l. 2. pr. & §. 2. D. de Adopt.
tale quid factum fuisse, suspicatur SCHVLTINGIVS in Jurispr.

Anacostin. ad Vlpiani Fragm. Tit. VIII. not. 2.

d) Hisfor. Libr. XXXVIII. cap. 36.

e) De Antiquo Jure C. R. Libr. I. cap. 9.

f) l. 57. §. 1. D. de Rit. Nupt.

RORVM VESTRORVM IN EO MATRIMONIO QVAESITO-RVM, quod ante annos quadraginta contractum est, PERINDE AC SI LEGITIME CONCEPTI FVISSENT. g) Duo, fateor, praeclara exempla hujus nostrae in jure Justinianeo sic dictae legitimatationis, quibus, si opus esset, alia plura possent subjungi. h) Ast utrumque hoc & omnia reliqua continent non vniuersale aliquod & ad singulorum ciuium utilitatem introductum, sed potius jus mere singulare, quo populus vel princeps subuenit alicui & quod proinde ad exemplum trahi non oportet. Haec nostra autem, de qua loquimur, legitimatio ad omnes omnino ciues pertinet, & modus ordinarius est adquirendae patriae potestatis, qui, quod ante tempora CONSTANTINI M. proflus fuerit incognitus, abunde probat altum, quod ea de re apud veteres JCTos deprehendimus, silentium, qui quando de modis adquirendae patriae potestatis & de liberis suis loquuntur, semper justarum tantum nuptiarum & adoptionis, naturalium liberorum & adoptiorum faciunt mentionem, nunquam legitimatationis & legitimatorum. i) Ceterum ex his hucusque dictis patet, non tantum rem,

g) Incestae enim & prohibita sunt nuptiae in gradu tertio lineae transuersae l. 39. 56. D. de Rit. Nupt. l. 11. §. 1. l. 38. D. ad Leg. Jul. & Adul. & proinde nullae. Et quamvis CLAVDIVS hoc jus quoad fratri filiam immutauerit, SVETON. in vit. ejus cap. 26. stricte tamen accipendum hoc jus nouum, ut pleraque, quae contra regulas Juris singulari ratione introducuntur. Conf. GERARD. NOODT Observat. libr. II. cap. 6.

h) E. gr. PLINIVS Libr. X. Epist. 6, rogit Trajanum, ut propinquis Posthumii Maximi det ciuitatem, Chryssippo, vxoriique ejus Stratonicae, & liberis eorum, ita ut hi sint in patris potestate, ut que iis in libertos serueretur jus patronorum.

i) l. 1. D. de Adopt. l. 1. §. 2. & vlt. de Suis & Legitim. VLPIANVS Fragm. Tit. VIII. §. 1. Inprimis autem anno tandem l. 1. D. de Adopt. esse ex MODESTINI Libr. Regularum. Inde enim intelligimus, quod natura & adoptio sint duo modi adquirendae patriae potestatis Juris Regulis introduci & definiti, quamvis alioquin

rem, de qua nos loquimur, sed & ipsum illius nomen sc. Legitimationis, his temporibus fuisse incognitum. *Divi Fratres* enim, quorum rescriptum adduximus supra, rei quidem faciunt mentionem, sed de ea: *idcirco*, inquiunt, k) CONFIRMAMVS STANTVM liberorum in eo matrimonio quaeſitorum perinde ac si legitime concepti fuissent. Quod itaque posterior aetas semper dixit legitimare, legitimationem, id appellant D. F. confirmationem statum, confirmationem status. Atque ita sine dubio & JCti & ad eorum exemplum reliqui omnes, qui hac de re vel dixerunt vel scripterunt.

§. IIII.

Oſtenditur Constantini M. temporibus introductam esse Legitimationem, & quae sit hujus rei cauſa?

Vsque ad CONSTANTINI itaque M. tempora in Jure Romano incognitus erat hic tertius adquirenda patriae potestatis modus, quem iura recentiora Legitimationem dicunt. Id quod cum anteced. §. pro instituti ratione probauerimus, insimul vel tacite concessimus, iisdem his CONSTANTINI M. temporibus nouum hunc adquirenda patriae potestatis modum introductum certisque duabus adjunctum fuisse. Atque ita etiam vere est. CONSTANTINUS M. verus est hujus nostrae legitimationis auctor atque conditor, quamvis hic Imperator, vti fieri solet, hujus rei tantum prima quaſi jecerit fundamenta, quibus deinde inſequentes Imperatores omnem istam superstruxerunt legitimationis compagm, quam exhibent iura recentiora Romano-Justiniane. Ipſa quidem constitutio, ab Imperatore hunc in finem lata, hodie non amplius exſtat, sed ZENO IMP. tamen, non nudo elogio, vti bene

alioquin patria potestas etiam adquiratur interdum beneficio populi vel principis, id quod probant exempla allegata, MODESTINO non incognita, sed neglecta tamen in his libris Regularum, quia eo tempore nullum constituebant modum ordinarium adquirenda patriae potestatis.

k) 1. 57. §. I.D. de Rit. Nupt.

bene monet JACOBVS GOTHOFREDVS, l) verum Constantini *institutum hac parte aperiens*, illius constitutionis nobis retulit m) non tantum sententiam, sed praeterea ipsam etiam rationem, qua motus legislator hoc ius nouum & ad haec usque tempora incognitum primus introduxit. Potissimum autem, vti videtur, huic legi condenda praebuit occasionem iste olim apud Romanos adeo frequens concubinatus. n) Est autem hic concubinatus Coniunctio licita, sed destituta effectibus nuptiarum ciuilibus, qua vir caelebs mulierem vilioris conditionis uxoris loco in domo habet. Honesta ergo & licita o) consuetudo erat concubinatus apud Romanos, atque ipsa concubina ab legitima uxore solo delectu & animi destinatione p) & dignitate differebat q) & uxoris loco habebatur in domo r). Sed destituebatur tamen haec consuetudo omnibus justarum nuptiarum effectibus. Hinc liberi ex concubina nati nec justi, nec legitimi aut in patria potestate constituti, sed sui juris suaeque potestatis erant, quia proprie patrem, i. e. patrem ciuilem non habebant s). Nam proprie pater est, quem de-

mon-

l) In Comment. ad l. 2. C. Theod. de natural. fil. & liber. eorum.

m) l. 5. C. de Natural. liber.

n) Vid. JACOB. GOTHOFREDVS loc. cit. DESIDERIVS HERALDVS loc. cit. Libr. I. cap. IV. §. 2. JOAN. GOTTLIEB HELNECCII *Antiquit. Roman. in Append. ad Libr. I. §. 45.*

o) l. 144. D. de V. S. l. 5. ad Sct. Orphit. JACOB. CVJACIVS ad *Instit. §. vlt. de Nupt.*, deinde etiam in *Paratitlis ad Tit. D. & C. de Concubin.* concubinatum legitimam esse ait conjunctionem, sed male ob l. c. 144. de V. S., id quod jam obseruarunt DESID. HERALDV. l. c. Libr. I. cap. II. §. 12. EDMVNDVS MERILLIVS *Observat. Libr. III. 15. & alii.*

p) PAVLVS *Recep. Sentent. II. 20. 2.*

q) l. 49. §. 4. D. de Legat. III.

r) l. 144. D. de V. S.

s) Hinc in l. 7. C. de Natural. liber. patri naturali non simpliciter denegatur nomen patris, sed *Jus & nomen patris i.e. nomen iusti*

monstrant justae nuptiae t). At CONSTANTINVS M., qui veneranda Christianorum fide muniuit imperium, concubinatum hunc Christiana pietate indignum habere coepit, eumque proinde subruere conatus est, sed ita, vt obliqua quasi via procederet, nec se id agere prae se ferret. Cum enim ita inoleuisset ista consuetudo, vt impar sibi prope videretur ei abolenda, id agebat potissimum, vt ciues vxores, quam concubinas habere malent. Hinc primo liber ex concubina procreatis quidquam relinquunt. u) Deinde, ne viri dignitatibus fulgentes alios exemplo corrumperent, durissimam edidit legem, x) qua concubinas a viris illustribus, clarissimis, spectabilibus, perfectissimis haberi vetuit. Denique eundem in finem adiuuenit etiam legitimatem per subsequens matrimonium, non in futurum tamen, sed tantum de praeterito valitaram, atque vt resert ZENO Imp. y), lege propolta constituit, vt si pater naturalis concubinam, cuius matrimonium non erat interdictum, duceret vxorem, liberi, ante hoc matrimonium nati, omnes justi, legitimi & in potestate patris naturalis patria sint constituti & cum his, qui postea ex eodem matrimonio suscepisti, aequali semper fruantur jure. Hic concubinatum procedente affectione in matrimonium vertendimus & olim quidem jamjam cognitus erat, vti nos docet PANINAVS. z) At enim vero olim non ideo hac ratione liberi ante nuptias e concubina suscepisti legitimabantur, manebant potius, quales olim fuerant, naturales illegitimi. CONSTANTINVS autem M. hanc veluti natalium restitutionem primus introduxit,

B.

duxit,

si patris, vel legitimi, quem appellant iura nostra cum, quem demonstrant justae nuptiae l. 5. D. de in Jus vocand.

t) d. l. 5. D. de in Jus voc.

u) Id quod colligimus ex l. 1. Cod. Theod. de Natural. Liber. vid. JOANN. GOTTLIEB HEINECCIUS l. c. in Append. ad Libr. I. §. 43.

x) l. 1. C. de Natur. liber.

y) l. 5. C. de Natur. liber.

z) l. 31. D. de Donat.

duxit, qui proinde recte auctor hujus noui modi adquirendae patriae potestatis dicitur, ut haec tenus docuimus.

§. V.

*De diversis illegitimos liberos legitimandi modis
pauca quaedam.*

Exposita legitimationis origine, tempestiuum est, cogitare, quibus modis ea peragatur. Duo enumerat JVSTINIANVS a) Vnus fit *per subsequens matrimonium*, introductus a CONSTANTINO M., vti diximus, sed ita, ut legislator iis duntaxat, qui ante hanc a se latam legem in concubinatu vixerant, & natis exinde liberis id beneficium indulgeret, non qui in posterum ex concubinis nascituri essent. b) Hinc ZENO Imp. hanc legem reuocauit in usum, c) qui tamen eodem modo, ut CONSTANTIUS hanc suam constitutionem de iis tantum valere voluit, qui ante eam in concubinatu vixerant. ANASTASIVS deinde d) hoc beneficium cum omnibus, etiam postea nascitulis, communicauit. Id quod denuo restrinxit JVSTINVIS e), sed JVSTINIANVS iterum latius extendit, confirmauit & ampliauit, f) adeo, ut ab hoc demum tempore legitimatio per subsequens matrimonium ordinarius & in perpetuum validitus modus adquirendae patriae potestatis fuerit factus. g) Secundus modus, cuius

a) §. vlt. I. de nupt. §. 2. I. de Hered. quae ab Intest.

b) l. 5. C. de Natural. liber. vid. §. anteced.

c) l. c.

d) l. 6. C. eod.

e) l. 7. C. eod.

f) l. 10. 11. C. Eod. Nouel. LXXIV. cap. 4. Nouel. LXXXIX. cap. 8.

g) Vid. JACOB. CVJACIVS ad Nouel. XII. & JOAN. GOTTLIEB HEINECCIVS l. c. Libr. I. Tit. X. §. 25.

h) §. vlt. I. de Nupt.

i) Epistol. X. 83. 115. 116.

mentionem facit JVSTINIANVS ^{h)} est legitimatio, quae fit per oblationem curiae. Curia est ordo decurionum, quem PLINIVS ⁱ⁾ vocat senatum municipalem, sicut curiales vel decuriones in Jure nostro dicuntur ienatores municipales. ^{k)} Legitimatio per oblationem curiae est autem, vbi pater naturalis liberos naturales offert curiae i. e. filium, vt fiat decurio & fit obnoxius nexibus curialibus, filiam autem, vt curialibus collocetur in matrimonium. Introduxit hunc modum THEODOSIVS ^{Junior} l) ob causas, quas dudum dedit BARNABAS BRISSONIVS ^{m)} JANVS A COSTA ⁿ⁾ JOANN. GOTTLIEB HEINECCIVS ^{o)} & alii. His autem duobus a JVSTINIANO recensitis modis accedunt alii. ANASTASIVS ^{Imp.} p) enim introduxit legitimationem per arrogationem, quae tamen non tulit aetatem, abrogata quippe primum quidem a JVSTINO, q) deinde etiam ab ipso JVSTINIANO. r) Idem ^{Imp.} JVSTINIANVS addidit Legitimacionem per Rescriptum Principis, de qua, vt circumscripte numero sequere dicamus, postulat instituti ratio. ^{s)}

B 2

§. VI.

k) l. 33. C. de Decurionib.

l) l. 3. C. de Natur. liber.

m) Antiquit. Selecti, Lib. IV. cap. 13.

n) Comment. ad Instit. Tit. X. de Nupt. §. vlt.

o) Antiquit. Romanar. Libr. I. Tit. X. §. 24.

p) l. 6. C. de Natural. Liber.

q) l. 7. C. Eod.

r) Nouell. LXXIV. cep. 3. LXXXIX. cap. 7.

s) CHRISTIANVS THOMASIVS in *Dissert. cit. Cap. I. §. 12.* addit legitimacionem per testamentum tanquam nouam legitimacionis speciem. Sed haec, quae fieri dicitur per testamentum, est ipsa legitimatio per rescriptum principis, neque ab ea diuersa. Ex Nouel. enim LXXIV. 2. LXXXIX. 10. discimus, permittere posse patrem naturalem filio naturali in testamento, vt petat suam legitimacionem a principe. Atque praeter hoc jus pertenendi

§. VI.

Quid sit Legitimatione per Rescriptum Principis, & quando ea introducta sit, ostenditur.

Dixi ab initio hujus scriptio[n]is, sc. §. II. *Legitimationem esse actum iure ciuili introductum, quo liberi naturales illegitimi & consentientes fiunt legitimi, & deinceps instar legitimorum rediguntur in patriam potestatem.* Exinde igitur facile potest cognosci, quid sit legitimatio, quae fit per rescriptum principis? Cum enim in prima legitimatio[n]is specie haec quasi natalium restitutio & adquisitio patriae potestatis fiat ob mutatum concubatum in legitimum matrimonium, in specie secunda ob oblationem liberorum curiae factam; in hac nostra ea fit ob auctoritatem potestate inquit principis voluntatem suam per rescriptum declarantis. Atque hanc potestatem principi nemo, existimo, negabit. Princeps libertinos potest ingenuitati restituere t) & natalibus,

di nihil amplius consequitur filius a patre & ex illius testamento. Ipsam legitimationem indulget princeps per rescriptum ad preces filii, quibus tamen hoc in casu filius annexiter debet patris testamentum. Itaque haec legitimatio fit per rescriptum principis & est ipsa legitimatio per R. P. non noua & ab hac diuersa. Quare miror, hanc THOMASII opinionem de legitimatione per testamentum adoptasse HEINECCIVM l. c. Libr. I. Tit. X. §. 28. virum in jure certe ciuili auctoritatis magis constituta. Addunt alii tanquam nouam legitimatio[n]is speciem *Nominationem filii in instrumento publico factam, sine adjectione, quod sit naturalis, ex Nou. CXVII. 2.* Sed hoc in casu pater magis praecedens matrimonium agnouisse, quam illegitimum filium legitimasse videtur. l. vn. C. de Lat. libert. tollend. Hinc THOMASIVS l. c. Cap. I. §. 13, jam jam hanc nominationem filii non esse speciem legitimatio[n]is & monuit & probavit. Vid: praeterea ARNOLDI VINNII Comment. in Instit. Libr. I. Tit. X. §. 13.

t) l. 2. & 3. D. de Natal. Restitut. l. 23. C. de Nupt.

natalibus, in quibus initio omnes homines fuerunt nondum descripto jure ciuili & incognita seruitute. Eodem ergo exemplo potest princeps liberos naturales legitimos facere & suos & restituere antiquis natalibus, in quibus omnes homines fuerunt, legibus nondum scriptis, quo tempore liberi omnes fuerunt conditionis ejusdem, non alii naturales, alii legitimi. u) Hujus autem legitimatio, quae fit per rescriptum principis auctor & conditor est Imperator JVSTINIANVS, qui eam introduxit per Nou. LXXIV. & LXXXIX, quarum posterior ex mente interpretis veteris x) lata est Flauto Appone V. C. Cos. anno XIII. Imperii JVSTINIANI, prior autem Flau. Jobanne V. C. Cos. anno XV. Imperii. y) Data quidem etiam ante haec tempora interdum est legitimatio ab Imperatoribus per rescriptum; non modo, ut vult JACOBVS CVJACIVS z) tunc denum, quando mulier, ex qua nati erant liberi naturales, propter inaequalitatem justa vxor esse non poterat, sed & quando ea poterat. Ad haec enim tempora vsque legitimatio per subsequens matrimonium nondum perpetua & ordinaria erat, sed, si excipias ANASTASII constitutionem, interdum tantum ab Impp. ad confirmandum eorum statum, qui antea e concubina fuerant nati, concedebatur. Hinc, quando haec per subsequens matrimonium legitimatio, quamvis concubina justa fieret vxor, locum non habebat, siebat ea nonnunquam per rescriptum principis, id quod probant, quae a DESIDERIO HERALDO data sunt exempla. a) Sed his quidem temporibus Imperatores potentibus hanc legitimationem

B 3

nondum,

- u) Quo argumento ipse vititur JVSTINIANVS Nou. LXXXIX, pr. & cap. 9. Conf. JACOB. CVJACIVS ad Nouell. LXXIV.
- x) Textus Graecus enim caret subscriptione, vti monet HOMBERGCK ZV VACH in Versione Nouellarum.
- y) Ut vult HOMBERGCK ZV VACH d. I. ABRAHAM WIELING autem in Jurispr. Refit. & Indice Chronologico Nouellar. Justiniani adsignat huic Nouellae annum XII. Imperii Justiniani.
- z) Ad Nouell. LXXIV.
- a) I. c. Libr. I. cap. IV. §. 5. & in Adjectis. n. 10.

nondum lege publica velut in antecessum suam adstrinxerant fidem, id quod tamen fecit JVSTINIANVS per dictas Nouellas, quam ob rem non immerito se dixit auctorem, & ab aliis etiam dicitur, hujus, quae fit per rescriptum principis, legitimationis.

§. VII.

Quales liberi illegitimi legitimari possint, inquiritur.

Intelligis, quid sit legitimatio per rescriptum principis & quas habeat origines. Quaeris, quales liberi hac ratione legitimari & in patriam potestatem reduci possint. Definitio legitimationis hos liberos appellat *illegitimos naturales*, qui soli in hac materia nominantur tales & admittuntur ad legitimationem in Jure nostro. Dicuntur *Illegitimi Naturales* in coniunctione. Non enim omnes illegitimi sunt naturales, nec versa vice omnes naturales, illegitimi. Scilicet liberos omnes vel natura procreat vel hominum legumue ingenium. Piores, de quibus nobis hoc loco in primis sermo est, vel legitimi sunt vel illegitimi. Legitimos natura a legibus temperata & iis obsequens procreat, atque hi *legitimi naturales* b) dicuntur, ut distinguantur ab istis legitimis, quos hominum procreat legumque ingenium, qui vel adoptiui sunt vel legitimati. Reliquos omnes, quos natura vaga & legibus soluta & libertate sua lasciuens procreat, liberos quidem, sed quandoquidem naturae solius opus sunt, legum forma non adhibita, *illegitimos* vel *non legitimos* appellamus. Horum autem illegitimorum alii sunt *naturales illegitimi* c) i. e. nati ex concubina,

b) Pr. & §. 7. I. de Adopt. §. 4. I. de Exhered. liber. §. 2. I. de inoff. testam. I. 31. D. de Adopt. I. 2. §. 6. D. ad S. Tertull. CAJUS Inst. Libr. II. Tit. VIII.

c) JVSTINIANVS in Nouell. LXXXIX. ab init. *Naturalium*, ait, *nomen Romanae legislationi dudum non erat in studium*, & q. s. r. mox autem a Constantini vero piae memoriae temporibus in *constitutionum scriptum est liberis*. Ita enim habet versio Novellarum vulgata & barbara, quam tamen, id quod mireris, magnis

concubina, qui illegitimi dicuntur pròpterea, quia patrem legitimum non habent, qualis non est, nisi quem demonstrant justae nuptiae, d) naturales autem, quia patrem tantum naturalem habent, non ciuilem. Alii illegitimorum sunt *Spurii* vel *Vulgo quaeſiti*, qui, quia ex vulgiuaga venere procreati, patrem habent incertum, e) ergo nullum, quemadmodum, qui vbiue habitat, nullibi dicitur habitare, vti ait MARTIALIS f)

Dic, vbi conueniam, dic, qua te parte requiram?

Quisquis vbiue habitat, Maxime, nusquam habitat.

Alii sunt *Inceſtuiſi*, i. e. ex mare & femina nati, quorum conjunctio vel ob consanguinitatem vel ob affinitatem in jure prohibita est. g) Alii denique *Adulterini*. Jus ciuile autem adulterum vocat eum, qui alienam matrem familias corrupit, adulteram, quae prostrata pudicitia foedus connubiale violat. Virum igitur, qui contra idem foedus seorta sectatur & stuprum committit cum muliere libera & soluta, adulterum non vocat, quare nec adulterinum, qui ex ejusmodi confuetudine procreatur. Nulli igitur adulterini

gnis laudibus cumulat & commendat JACOBVS CVJACIVS Obscuru. VIII. 40. Haec JVSTINIANI verba JACOBVS GOTHOFREDVS ad l. 2. Cod. Theod. de Natural. liberis ita interpretatur: *Naturales liberos ante Conſtantinum M. nullo ſtudio aut affectu Romana Jurisprudentia proſecta eſt*. Alii vero v. g. ANTON. FABER in *Jurisprud. Papinian.* IX. 2. 1. ex his verbis, nudum naturalium nomen antea fuiffe incognitum probare volunt. Cui refutando, quodſi etiam ipſe JVSTINIANVS ita exſtimauerit, quod tamen nondum conſtat, allegantur l. 7. D. de confirm. tutor. l. 45. D. de Vulgari & pupill. ſubſtitut. & cit. vid. praeter JACOBVM GOTHOFREDVM l. c. DESIDERIVM HERALDV M. l. c. Libr. I. cap. I. §. 3. fqq.

d) l. 5. D. de in Jus vorand.

e) l. 19. 23. D. de Stat. homin. l. 4. 5. D. de in Jus vocand.

f) Epigrammat. VII. 62.

g) l. 39. D. de Ritu Nupt. vid. CAJVS Inſtit. Libr. I. Tit. IV. §. 8.

adulterini proprije jure ciuili Romano, nisi respectu matris adulterae. h) Ex his autem quatuor liberorum illegitimorum speciebus non nisi *illegitimi naturales*, i. e. ex concubina nati ordinarie legitimari & hoc modo in patriam reduci possunt potestatem. Ita volunt non tantum leges, i) sed praeterea etiam variae rationes graues. Non ad primariam, cuius cauſa potissimum omnis legitimatio ab initio inuenta, rationem, quae hujus rei veritatem abunde docet, provoco. Etenim iamjam dixi de hac re, nec dicta repetere volo. Sed hoc tamen praeterire non possum, in omni legitimatione *fingi*, illegitimos liberos ex justo matrimonio esse procreatōs. Hinc de eorum patre constare debet, & vi inter parentes, qui certi sunt, justum matrimonium saltem subsistere possit, necesse est. Spuri ergo legitimari non possunt, quia eorum pater semper est incertus, adulterini & incestuosi non possunt, quia inter eorum parentes nullum subsistere potest matrimonium. Itaque naturales tantum illegitimi remanent, quorum pater, quia semper certus est, & inter quorum parentes quia subsistere & saltem *fingi* potest matrimonium, k) hinc etiam legitimari possunt, & soli semper legitimantur jure ordinario & nouo Romano, de quo nunc agimus.

§. VIII.

Quasi in subsidium introducta fuisse videtur Legitimatio per Rescriptum Principis.

Sed absolutorus, vt proposui, naturam legitimationis per rescriptum principis, ad ea, quae adhuc restant, exponenda accedo & primum quidem hoc silleri non oportet, nostram hanc legitimationis speciem quasi in subsidium a JVSTINIANO introductam esse. Non igitur ea locum habet, nisi si res alio modo iis, ad quos ea res pertinet, salua esse non potest. Hic autem alias modus est in primis legitimatio, quae fit per subsequens matrimonium.

h) Vid. DESIDER. HERALD. l. c. Libr. I. Cap. III. §. 12.

i) Nouell. LXXXIX. Cap. 1. & 15.

k) l. 10. 11. C. de natural. liber.

nium. Haec quando impeditur, & mulier v. gr. cum qua quis consuetudinem habuit, defuncta est, quando matrimonium cum ea impeditur sacerdotio, aut ea peccauit quid circa torum, quando cum ea honeste contrahi matrimonium nequit, aut quando ea non apparet, vti ait JVSTINIANVS, l) qui hos calus omnes ipse enumerat, tunc denum locum habet legitimatio per rescriptum principis, *aliter namque*, inquit *Imperator* m) fieri hoc in talibus casibus non permittimus. Sed dicens, his dictis in casibus singulis nullum commode potest matrimonium inter virum & eam, cum qua quis consuetudinem habuit, id quod tamen volunt jura nostra. n) Atque ita quidem est, sed quae eo tempore, quo fit haec legitimatio, locum habere non potest fictio, ea retrotrahitur ad illud tempus, quo nati sunt liberi naturales legitimandi. Sed quaeri potest, vtrum quoad hanc fictionem tempus natuuitatis, an potius conceptionis spectandum sit? CAJVS, ait, o) Regula juris hoc continet, vt, qui legitime concipiuntur, tempore conceptionis statim sumant, qui vero non de legitimo matrimonio concipiuntur, statim sumant eo tempore, quo nascuntur. Sic & VLPIANVS p) & ita volebat ratio juris, a qua tamen alio & simili in casu jam Imp. HADRIANVS recessit rescripto suo in muliere ultimo supplicio damnata q) & in damnata in metallum Imp. ANTONINVS r) adeoque merito eadem aequitas & aliis in casibus recepta est, vti discimus ex JVLIO PAVLLO. s) Quam ob rem Imp. JVSTINIANVS generaliter voluit, t) inspici

C

- l) Nouell. LXXIV. cap. 2. LXXXIX. cap. 9.
- m) Nouell. LXXIV. cap. 2.
- n) Vid. §. anteced. VII. & Nouell. LXXXIX. cap. 4.
- o) Instit. Libr. I. Tit. IV. §. 9.
- p) Fragm. Tit. V. §. 10.
- q) l. 18. D. de Stat. Hom.
- r) l. 4. C. de Poenis.
- s) Recept. Sentent. Libr. II. Tit. XXIV. §. 1. 2. 3.
- t) l. 11, in fine C. de Naturalibus liber.

spici tempus partus in quaestionibus de statu & familia, nisi ut
lius sit infantibus conceptionis tempus obseruari.

§. IX.

*Non habet locum haec legitimatio per R. P., nisi deficiant
liberi legitimi, atque illegitimi naturales ex
muliere libera sint procreati.*

Dedi primam rationem, ob quam haec nostra legitimatio per rescriptum principis veluti in subsidium introducta fuisse videatur. Adest noua & alia hujus rei causa, quam praeterire non debemus. Scilicet tunc demum haec legitimatio obtinet, si pater naturalis nullos habeat liberos legitimos. Etenim, *si quis*, ait JVSTINIANVS, u) NVLLOS LEGITIMOS LIBEROS, SED NATVRALES SOLVM habeat, illosqne legitimos facere velit, mulierem vero plane non habeat, & s. p. deinceps vero, licentiam ei concedimus, naturales ad jus legitimorum, LEGITIMIS, vti diximus, NON EXISTENTIBVS, per banc viam, i.e. per rescriptum principis *dycendi*. Imitatur itaque ex hac parte haec nostra legitimatio per rescriptum principis adoptionem, quae etiam in eorum tantum solatum inuenta est, qui liberos non habent. x) Quare cum HERALDO y) existimo, eum, qui vxorem habet legitimam, nondum autem liberos legitimos, sed liberis tamen ex ea procreandis adhuc stude potest, petere non posse, vt liberi naturales, quos ex concubina suscepit, natalibus restituantur. Quodsi vero post impetratum per rescriptum principis legitimationem pater his naturalibus liberis legitimatis inducat nouercam, & ex ea deinceps liberos suscipiat legitimos: per horum natuitatem priorum legitimatio non rumpitur aut reuocatur: *Per agnationem postumū*, inquit CVJACIVS, z) ille,

u) Nouell. LXXXIX. cap. 9. ex versione HOMBERGCK ZV VACH.

x) Vid. THEOPHILI Parapbraſn Inſtit. ad Tit. XI. ab initio.

y) I. c. Cap. V. §. 8. 12. 13.

z) Consultat. LII.

ille, quem semel princeps suum & legitimum fecit, legitimus esse non definit. Atque ita sine dubio recte, nam nulla lex, nulla ratio legalis adaequata filios naturales natalibus restitutos nothorum statui & conditioni reddit, occurunt potius rationes, quae hoc fieri vetant. Nam liberti ingratii in seruitutem retrahuntur, non ob solam ingratitudinem, sed ob auctoritatem legum, quae expresse tali poena afficiunt libertos ingratios, a) liberi emancipati atroci facta patrii injuria in potestatem patriam reuocantur, id eo, quia leges hac poena coercent filium hac ratione delinquenter. b) Sed filius naturalis, quem princeps suum & legitimum fecit, cui ex nouera agnascitur frater, non peccat. Nonne ergo incivile est, ob solam hanc agnationem fratris, cessante omni delicto, omnique legis dispositione expressa, reuocare illius legitimationem, quam ipse princeps non vnius legis dicit donum esse, sed naturae simul & legis beneficium. c) Ceterum id, quod dixi, legitimationem per rescriptum principis non habere locum, nisi liberis legitimis non existentibus, hoc, inquam, de hac nostra tantum legitimationis specie, non item de reliquis duobus modis intelligi debet. Per dotalia enim instrumenta d) & per curiae oblationem e) fieri potest legitimatio, etiamsi adsint liberi legitimati. Denique in hac nostra legitimatione per rescriptum principis semper requiritur, ut liberi naturales ex matre libera sint procreati, qua in re haec legitimationis species denuo differt ab ea, quae fit per dotalia instrumenta, vbi liberi ex ancilla concubina, sed manumissa & deinde in matrimonium ducta, per hoc subsequens matrimonium & sui fiunt, & legitimati. f)

C 2

§. X.

- a) §. 1. I. de Capit. demin. I. 3. 4. C. de Libert. & liber. cor.
- b) I. vnic. C. de Ingratis liberi.
- c) Nouell. LXXIV. cap. 2. §. 1. Conf. DESIDER. HERALDV M I.c.
Libr. I. Cap. IV. §. 13.
- d) Nouell. LXXIV. cap. 2.
- e) Nouell. LXXXIX. cap. II. §. 1.
- f) Nouell. XVIII. cap. 4. LXXVIII. cap. 3. 4. LXXXIX. cap. 9.
Vid. JACOBVS CVJACIVS ad Nouell. XII. & LXXIV.

§. X.

Naturales illegitimi consentire debent in suam legitimationem.

Sed tempus est, vt de ipsa legitimatione per rescriptum principis ejusque forma, & quae ei consequentia sunt, traetemus. Primum autem huc spectat illud MODESTINI g) *In iuiti filii naturales non rediguntur in patriam potestatem.* Quae regula, quamvis *Modestini* temporibus legitimatio nondum cognita erat, nihil tamen feciūs & de hoc novo adquirendae patriae potestatis modo utique valet. Atque ita vult non tantum JVSTINIANVS, h) sed & ipsa naturalis aequitas. Nam filii naturales, antequam legitimantur, nullum habent patrem ciuilem, ac proinde sui juris siveque potestatis sunt & patres familias. Simulac vero legitimantur, desinunt esse sui juris, fiunt alieni juris & in alterius rediguntur patriam potestatem, id quod, vti in arrogatione, i) ita & in legitimatione fieri non patitur aequitas naturalis, nisi exploratur eorum voluntas, qui hoc modo in alterius potestatem redigi debent. Proinde semper necesse est, vt consentiant filii naturales illegitimi in sui legitimationem. Quodsi vero plures quis habeat filios naturales ex concubina, atque ex iis alii consentiant in suam legitimationem, alii dissentiant? JVSTINIANVS respondet: k) *Illi, qui volunt, legitimi fiunt, reliquis in naturalium condicione manentibus,* adeo verum est, in iuitos filios naturales non redigi in patriam potestatem etiam per legitimationem. Interim, vt ex quaestione nascitur quaestio, potest dubitari, an, qui plenum animi judicium non habent, v. g. infantes, impubes, possint legitimari? Et, quamvis leges de hac re taceant, ego tamen puto, potuisse, sed sub iisdem conditionibus, sub quibus

g) l. 11. D. de His, qui s. vel al. jur. sunt.

h) Nouell. LXXXIX. cap. 11. pr.

i) l. 5. D. de Adopt.

k) Nouell. LXXXIX. cap. 11. §. 1.

quibus ANTONINVS PIVS arrogationem impuberum permisit. 1) Exstant haec conditiones apud omnes, etiam vulgatos interpretes, quare eas hoc loco addere nolo. Ita autem, vti dixi, existimo non tantum ob summam maximamque similitudinem, quae intercedit inter impuberum arrogationem & legitimationem, sed praeterea etiam ideo, quod in arrogatione extraneus ut plurimum impubes arrogatur ab extraneo, per legitimationem autem semper impubes filius naturalis redigitur in potestatem patris sui naturalis. Cum itaque hoc posterius magis conueniat honestati & aequitati naturali, quam quidem prius, ideo ego legitimationem impuberum, quam expresse prohibitam fuisse non constat, eodem modo ac arrogationem eorum licitam fuisse & a patre naturali sine viro peti potuisse existimo.

§. XI.

Praecedere debent preces patris naturalis.

Satis, vt opinor, est demonstratum, legitimationem per rescriptum principis fieri non posse sine consensu filiorum naturalium. Porro obliuisci non debo, etiam sine consensu patris naturalis eam locum non habere. Nam per legitimationem, filii, qui erant naturales illegitimi, justi sunt atque legitimi, tam jure legae filii, ac si ex eo patre matreque familias legitimimo modo essent nati. Hinc siebant agnati patris sui & consequebantur hereditatem nominis, pecuniae, familiae, nobilitatis, & quae s. r. quae jura omnia inuitio vel inscio patre filio naturali dari non possunt. Non, enim *in cuiusquam injuriam beneficia tribuere moris est nostri* jam olim rescriperunt DIOCLETIANVS & MAXIMIANS Imp. m) Et si in genere improbus existimandus est ille, qui follicitus est de viui hereditate, n) maxime talis habendus

C 3

est,

1) §. 3. *Inst. l. 17. D. l. 2. C. de Adopt.* VLPIANVS Fragm. Tit. VIII.
§. 5.

m) l. 4. C. de *Emancip.* liber.

n) l. 2. §. 11. D. de *Vulg.* & *pupill.* Subfir.

est, qui follicitus est de patris hereditate, qui ante diem patrios inquirit in annos. Itaque consensus patris accedere debet ad legitimationem liberorum naturalium. Neque tamen sufficit hic nudus patris consensus, sed utique necesse est, ut ipse pater praeterea principem roget per libellum, ut naturalem filium faciat legitimum o) & si forsitan pater, morte obreptus, ipse has preces principi offerre nequeat, liberos autem naturales naturae & antiquae ingenuitati jurique legitimorum restituere velit, in testamento suo hanc voluntatem suam declarare liberisque permettere potest, ut deinde petant a principe suam legitimationem. Quo facto filio est jus petendi legitimationem, dummodo post mortem patris sic supplicant filii, & hoc doceant, & testamentum patris ostendant, & quatenus eos pater heredes scriperit, heredes existant, & hoc ab Imperatore consequantur, ut ait JVSTINIANVS. p) Satis, ut opinor, dictum de patre consentiente in legitimationem filii naturalis atque ob eam causam preces principi offerente. Sed quid, si pater vita fuerit functus, antequam consenserit, antequam obtulerit principi preces suas, quid si in testamento suo nihil dixerit de legitimatione filii naturalis? Commodo obseruat DESIDERIVS HERALDVVS, q) hoc in casu auum paternum post mortem filii legitimationem nepotis, a filio suo ex concubina suscepit petere posse. Sed necesse tamen est, ut non tantum filiorum naturalium pater, cui filius, nullos reliquerit, sed praeterea etiam, ut ipse auus nullos habeat liberos legitimos. Etenim legitimatio per rescriptum principis, ut diximus, semper subsidiaria est & locum tantum habet, si deficiant liberi legitimati. Est & alia hic extricanda dubitatio, vtrum auia paterna post mortem cui atque filii sui, qui pater est liberorum naturalium, de quibus quaeritur, eorum legitimationem a principe petere possit? Vix opus adscribi, quod liquet vtro, legitimationem tanquam modum adquirendae patriae potestatis a feminis non posse peti, vt pote quae iurium patriae potestatis sunt incapaces. Sed dicas, feminae

o) Nouell. LXXIV. cap. 2. Nouell. LXXXIX. cap. 9. §. 1.

p) Nouell. LXXIV. cap. 2. §. 1. Nouell. LXXXIX. cap. 4.

q) l. c. cap. V. §. 26.

feminae tamen in folatium liberorum amissorum ex indulgentia principis alios adoptare possunt, r) quidni ergo etiam legitimare liberos naturales a filio ex concubina procreatos? Sit igitur hoc in casu auiac facultas petendi a principe legitimationem ne-
potum suorum ex filio naturalium, hoc modo, vt, si eam petat, se possit tueri exemplo feminae adoptantis, & si impetraverit, eam, sic sentio, non plane contra jus impetraverit.

§. XII.

*Quos habeat effectus per rescriptum principis
legitimatio, ostenditur.*

Expectas finem doctrinae Juris Romani de legitimatione per rescriptum principis, explicatis hic vsque plerisque illius capitibus. Nec ero in mora, simulac, qui superfunt, effectus ex-
posuero. Hi autem effectus, de quibus adhuc cogitandum, non ante adesse intelliguntur, nisi postquam princeps libello sibi obla-
to subscripterit, quo facto dicitur filius naturalis legitimatus per rescriptum principis. Effectus autem, quos producit ejusmodi legitimatio per rescriptum principis sunt varii, prout eos vel a parte patris legitimatis, vel a parte filii legitimati consideramus. Summa effectuum, quos legitimatio a parte patris, ad cuius preces ea fit, producit, est, quod pater adquirat in filium hoc modo legitimatum omnia jura patriae potestatis, quae alias habet in filios familias ex justis legitimisque nuptiis natos. Haec patriae potestatis jura hic a me exprimi nominatimque edi, non est opus, cum sint nota omnibus ideoque nulla egeant vltiore aut explicatione aut enumeratione. A parte filii, hoc modo le-
gitimati, effectuum per legitimationem productorum, summa est, quod filius, qui erat naturalis illegitimus per hanc legitimationem fuit iustus atque legitimus, & patri suo tam jure legeque filius, ac si ex justis legitimisque nuptiis fit procreatus. Varia & praeclara sunt, quae filius legitimatus hac ratione consequitur, emolumenta, quae vero denuo aliunde satis cognita & ex ea cau-

fa

r) l. 5. C. de Adopt.

sa singula nominatim exprimi non debent. Utiles monuero, legitimationem per rescriptum principis, ut in aliis capitibus, ita etiam ratione effectuum hinc inde recedere a legitimatione per subsequens matrimonium. Scilicet, notabiles jam aliquot adfuerere hujus utriusque legitimationis differentiae, sed non minus digna est notari sequens: Quando per rescriptum principis, aut per oblationem curiae quis legitimatur, habetur quidem legitimatus, vt diximus, pro legitimo, sed vni patri, non alii, s) quodsi vero fiat haec legitimatio per subsequens matrimonium & dotalia instrumenta, longius se exserit vis legitimationis. Non enim jani soli patri legitimus fit legitimatus, sed etiam respectu omnium consanguineorum talis habetur, perinde, ac si ab initio legitimus fuisset. t) Potest itaque secundum Jura Romana ita quis legitimari, vt patri soli fiat filius justus, non aeo nepos, aut reliquis agnatis agnatus. Sed quamvis legitimatio per oblationem curiae & per rescriptum principis his arctis limitibus sint inclusae; patri tamen hic filius ex omni parte fit filius justus, neque ita quis legitimari potest, vt v. g. patri non succedat. Non enim potest legitimari filius, quin patri fiat sius, ergo heres, adeo, vt, si in testamento patris fit praeteritus, habeat in officio querelam. Supereft alia obseruatio aequa utilis & necessaria ac superior. Scilicet de eo dubitatum fuit, utrum, si legitimati concurrant cum aliis ex justo matrimonio natis, singuli aequali jure in capita succedant, aut, annon potius hoc in eatu liberi, qui ex justis nuptiis sunt procreati, saltim legitimam habeant praecipuam? JOANNES GOTTLIEB HEINECCIVS u) Legitimati, inquit, per rescriptum principis succedunt patri, si soli sint, si jam alii ex justo matrimonio existent, bi merito praecipuam habent legitimam, ad reliquam portionem & legitimati admittuntur, si id voluerit pa-

ter;

s) l. 9. C. de Natural. liber. Nouell. LXXIV. cap. 2. LXXXIX.
cap. 4. 9. 10.

t) Nouell. XII. cap. 4. Nouell. LXXXIX. cap. 8. Conf. GERARDI NOODT Comment. ad Pandectas. Libr. I. Tit. VH. in fine.

u) In Element. Juris Civil. secund. ord. Instit. Libr. I. Tit. X.
§. CLXXII. & secund. Ord. Pandect. Libr. I. Tit. VI. §. CLX.

ter, & hoc diserte indultum sit rescripto principis. Sed quando ex Jure ciuili disputamus, dubito valde, an recte ita dixerit HEINECCIVS? Etenim si liberi adsum legitimi, legitimatio per rescriptum principis locum plane nullum habet, prout diximus §. IX. Si post legitimationem peractam pater liberis legitimatis inducit nouercam & ex ea deinde liberos suscipit legitimos, fieri quidem potest, vt concurrant liberi legitimi & legitimati, sed legitimatio per rescriptum principis ad quedam fieri nequit, vti diximus & probauit DESIDERIVS HERALDV^S, x) deinde etiam per rescriptum principis legitimati, nondum existentibus liberis legitimis, facti sunt legitimi, sui, justi, atque proinde patris heredes necessarii, quae jura legitimatis ob solam agnationem fratris legitimii non possunt auferri aut minui, in primis cum nullae exstant leges, quae legitimis hanc concedant praerogativam, quam iis dedit HEINECCIVS, &, quos hunc in finem excitauit juris textus, y) id minimum probent, quod exinde probare vult JCtus ceteroquin doctissimus atque celeberrimus.

§. XIII.

*Incipit Disputationis Caput secundum de Vsu hodierno
Legitimationis per Rescriptum Principis.*

Quem mihi destinavi finem, animum appellens ad confectionem hujus disputationis de legitimatione per rescriptum principis, is finis fuit inter alia non prouersus inelegantia aut per vulgata, detegere verum vsum hujus doctrinae Juris Romani, & ostendere differentias, quae quadam hanc doctrinam intercedunt inter Jura Patria atque Romana, varias atque insignes, sed neglectas paene hucusque a JCtis, certe, quantum memini, non ubique distincte satisque studiose expositas. Atque ita vult illa aratum princeps, cui me consecraui, quae vni seruit vitae communis

D

ni

x) loc. cit. Libr. I. Cap. IV. §. 13, 15.

y) Auth. *Præterea.* Auth. *Item.* Auth. *Si quis & cet. C. de Natural. liber.*

ni atque publicis priuatisque hominum commodis. Nam sit alterum fatum scientiarum, inquit GERARDVS NOODT, z) ut sint de schola, vt multis doceantur verbis & eruditis, nec tamen intelligantur minusque subsistant intra finem usumque humanae tenitatis; haec est praerogativa artis nostrae, quod rebus debetur, quod originem traxit a necessitate humanae coniunctionis, cuius utilitatem, quae summa est & honestissima sine exceptione, sibi proponit juvandam tuendamque. Itaque, ne cui contra naturam illius, quam profiteor, artis nihil ex iis, quae in usu habemus, aut audiuisse, aut didicisse videar: lex, quam mihi ipsi dedi, & ordo, quem mihi proposui, me ducit ad alterum hujus disputationis articulum & ad legitimationem per rescriptum principis hodiernam. In quo quidem ita verabimur, vt primum probemus, hanc per rescriptum principis legitimationem omni fere tempore in Germania usu perpetuo & quotidiano fuisse frequentatam. Deinde in id in primis elaborabimus, vt inuestigemus, utrum Juris Romani decreta & Imperatorum constitutiones & ius sa haec tenus explicata, cum hoc nostro rerum statu, cum his nostris temporibus hodiernaque legitimatione per rescriptum principis conueniant, & si hac in re inter se inuicem differant Patria Iura atque ista peregrina Romana, quid sentiendum sit de hac hodierna legitimatione per rescriptum principis. Ceterum tamen angustiae loci, quibus inclusi sumus, nos cogunt, breuitatis rationem habere, & summa veluti capita tantum attingere, ne cui haec nostra disputatio fines suos euagata esse videatur. Et ex hac dicta ratione nobis hoc loco tantum erit sermo de ista legitimatione per rescriptum principis, quae est juris priuati, omisla legitimatione personarum illustrium, quae est juris publici, & cujus recentissimum est exemplum legitimatio ANTONII Comitis Oldenburgensis, qui ab Imp. FERDINANDO III. natalibus fuit restitutus atque in Comitiis Ratisbonensibus anno 1654. S. R. I. Comitis dignitate ornatus est. a)

§. XIII.

z) In Dissert, de causis corruptae Jurisprudentiae. Oper. Tom. I. p. 538.

a) Vid. BVRCHARDI GOTTHELF STRVII Corpus Juris Publici I. R. G.

§. XIII.

*Ostenditur, Legitimationem per Rescriptum Principis omni
fere tempore apud Germanos vsu perpetuo
fuisse frequentatam.*

Si, quos mihi tamquam circumscripti terminos, eos transgredi vellem, multis possem ex omni aeuī memoria exemplis demonstrare, legitimationem per rescriptum principis jam inde ab antiquissimis, vsque ad haec nostra tempora in Germania non tantum, sed & apud ceteras originis Germanicae gentes vsu perpetuo & quotidiano esse frequentatam. Sed praetereo exempla antiquissima, & ad ea propero, quae suppeditat historia mediī aeuī, quorum cum plura existent apud scriptores istius aeuī, ex iis hoc loco pauca tantum quaedam commeniorabimus. Anno post Christum natum 1243. FRIDERICVS II. Imp. per rescriptum legitimauit filios, quos Margaretha Comes & Domina Flandriae atque Hannōiae ex Burcādo de Auenis, Canonico Insulensi in conjugio clam contracto suscepérat, b) quod quidem exemplum ad publicū jus potius, quam priuatum pertinet, cuius tamē vel ideo fecimus mentionem, ut ex hoc & reliquis, quae sequuntur, exemplis cognoscamus, legitimationem quarumcunque personarum per rescriptū hoc aeuō cognitam vñstatimque fuisse. Apud PETRVM DE VINEIS c) aliud exstat exemplum legitimationis spuriōrum, ex clericō natorū, per rescriptum Imperatoris factae, sed cum onere vicelīnae, quamvis hanc formulam in Codice MSCto epistolarum hujus Petri de Vineis, quem habuit, dum viueret, CHRISTIANVS GOTTLIEB SCHWARZIVS, non

D 2

extitisse

I. R. G. Cap. XIII. §. 9. pag. 476. 477. & JAC. CAROL. SPERNERI Teutsches Ius publicum Part. V. Libr. IV. Cap. V. §. 6. pag. 156.

b) Vid. EDMVNDI MARTENE & VRSINI DVRANDI Tom. I. Thesauri noui Anecdotorum. pag. 1021. 1022.

c) Epistol. Libr. VI. epist. 16. pag. 715.

extitisse dixerit, quem modo laudaui, SCHWARZIVS, d)
quae nihilo secius deprehenditur apud GOLDASTVM e), &
ab eo adscribitur CONRADO IV. Imp. filio FRIDERICI II. Nec
pauca hujusmodi legitimationis per rescripta Caesarea exempla oce-
currunt inter diplomata CAROLI IV. Imp., quem & in aliis pri-
uilegiis atque immunitatibus concedendis admodum liberaliter
fuisse, aliunde constat. Ita v. c. ab hoc Imperatore A. C. 1360. legiti-
mati sunt *Cunradus, Johannes & Nicolaus*, nati *Cunradi*, dicti
Bessers, ciuis in Keifersberg de soluto & soluta geniti. Anno eo-
dem legitimati sunt *Johannes, Cunradus, Wolframus & Michael*
nati quondam *Cunradi de Moguncia*, in sacris ordinibus constitu-
ti cum soluta & cet. Eodem anno legitimati sunt *Wilhelmus*,
procreatus de Subdyacono & soluta, & *Amilia* de eodem Subdy-
acono & Religiosa, dicti *de Paris*, cum omnibus suis clausulis
oportunis. f) JOANNES SCHILTERVS vir de Jurisprudentia
patria optime meritus, multa hujus argumenti produxit diploma-
ta & exempla i) g) in primis e historia RVPERTI Imp. Sic v. g.
anno Chrili 1400 RVPERTVS per rescriptum legitimauit *Alexan-
drum natum Henselmi*, dicti *Baders de Hagenavve*, anno 1402. si-
mile priuilegium dedic *Henr. Hagel*, nato *Conradi Hagel de Ober-
giengen*, anno 1408 hoc modo legitimauit *Gerlacum*, natum *Si-
monis*, dicti *Grans*, anno 1410 in simili forma diploma tale da-
dum *Cuntzmanno de Etendorf*, nato *Bernardi de Eitendorf* militis,
& anno 1409. in vernaculo sermone *Rudolfi von Zeisenheim*
concubinae, postea in vxorem ductae, & ex ea genitis liberis jus
succedendi concessit, zu mehrer Sicherheit Rittermaessig, leben-
bar, und Schilds- und Wappengenoße gescheffet und gemacht,
schepfen

d) Vid. Ejus *Dissertatio de antiquo ritu legitimandi liberos illegitimos*
per pallium. §. V. pag. 9.

e) *Constit. Imperial. Tom. III. pag. 398.*

f) A. F. GLAFÉY *Anecdotor. Histor. ac Jus Publicum illustrantium*,
pag. 168. 189. 267.

g) In *Comment. ad Jus Feudale Alamanicum Cap. XXXX. §. 4. 5.*
pag. 228. 229 sqq.

schepfen und machen sie also &c. dasz sie &c. Mannlehn, Burg-
lehn, und Erbleben empfaenglich sind &c. als andere des Geschlech-
tes von Z., die eblich gebohren, und von Vater und Mutter Ritter-
maessig Schildes und Wappens Genosz sind &c. Sonderlich soll ibn
nicht schaden das Geseze und Gewohnheit in Kayserlichen Leben-
Rechten begriffen, in den Kapitel, das anfabet, Naturales, in
der Rubriken, ob um Lehen Zwietracht waere, noch kein ander
Gesetze in den Kayserlichen Leben-Rechten oder anderswo begrif-
fen &c. Atque haec huius usque allata exempla satis probant, quam
frequens & vltata fuerit legitimatio per rescriptum Saeculis XIII.
XIV. XV. His addere possem alia ex Saeculis insequentibus, sed
nolo coaceruare plura, cum quoad saecula anteriora haec dicta
sufficiant, quoad nostra tempora autem hujus legitimatiōnis exem-
pla tam nota sint, quam quae notissima, atque ex ea causa nulla
indigeant allegatione vltiore.

§. XV.

*Panditur via ad ferendum de hac legitimatione hodiernam
judicium per diplomata duo.*

Diximus de frequenti ac perpetuo legitimatiōnis per re-
scriptum principis vſu apud Germanos. Dicamus nunc de il-
lius natura, vi & effectu. In qua questione explicanda cum va-
rias & immanes deprehendamus opinionum dissensiones; operae
prestium esse putamus, praemittere diplomata duo, quea quasi
pronam ad formandum de hac re judicium viam pandere viden-
tur. Atque ne de hodiernis tantum moribus disputare videamur,
primum eorum de promamuis e Historia medii aeui atque RVPER-
TI Imp. quod ex libro MSCto produxit JOANNES SCHILTE-
RVS h) his verbis: RVPERTVS &c. dilecto nostro Gerlaco,
nato Symonis dicti Grans, arnigeri, fidelis Noſtri dilecti, Gra-
niom Noſtrum & omne bonum. Non sunt omnino ab Augustae libe-
ralitatis gratia secludendi, quibus proprieae virtutis merita suffra-
gantur, licet conditionem eorum aliqualis ex parentum actu deſcen-
dens

D 3

b) loc. cit. §. 4. ad Cap. XXXX. pag. 228. 229.

dens macula decoloret. Itaque praefati Symonis genitoris tui multiplicatis obsequiis ejusdemque & tuis supplicationibus Nobis exhibitis inclinati, tecum, qui ex soluto & soluta genitus diceris, & quem nouimus bonis intendere moribus, foreque bonaे indolis in futurum, de plenitudine Regiae potestatis, ex certa nostra scientia & animo deliberato, super bujusmodi natalium defectum misericorditer dispensamus, te habilitamus & ad legitima jura reducimus per praesentes, tibi ex uberioris dono gratiae concedentes, ut defectu praefato non obstante omnibus legitimis actibus, publicis & privatis, officiis, juribus & honoribus ex nunc & in antea vti, praesesse, perfrui ac potiri nec non in bonis quibuscumque parentum, agnatorum, cognatorum & quoruncunque aliorum, etiam si feudalia sint, ex testamento & ab intestate succedere valeas atque possis. Et insuper feudorum mediocrum te reddimus capacem, quae de voluntate dominorum, a quibus derivantur, poteris obtinere, non obstantibus legibus, statutis, constitutionibus, obseruantis, consuetudinibus feudorum, vobis scriptis & non scriptis & praesertim capitulo: Naturales, in Kubrica: si de feudo controueria fuerit, Collatione X. in libris feudorum aliisque juribus generalibus provincialibus aut municipalibus quibuscumque. Quibus omnibus, etiam si de ipsis, aut aliquo eorum fieri deberet mentis specialis in hac parte, tenore praesentium derogamus harum sub Nostrae Regiae Majestatis sigilli appensi testimonio litterarum Datum Heidelberg anno Millesimo IIII. octauo, quarta decima die mensis Septembris, Regni vero Nostrri anno nono. Huic documento & praeterlapsis saeculis petito subiungamus capita potiora e Codicillis Comitiuae Palatinae, quibus nostris temporibus Imperatores Comitibus Palatinis jus, nobilium & ignobilium spurios atque illegitimos quoescunque liberos legitimandi concedunt hunc fere in modum. i) Der mehr genannte N. N. soll und mag auch Mann- und Weibs-Personen, Edel und Vnedel, (allein Fürsten, Gra-
fen

i) Vid. SAMVELIS STRYCKII *Vsum Modern.* Tom. I. Libr. I. Tit. VI. §. 15. pag. 103. & JOANN. GEORG. CRAMERI *V. C. Comment. de Juribus & Praerogatiis Nobilitatis auitae.* Cap. IV. §. 2. not. u. pag. 201. 202.

fen und Freyherren ausgenommen), jung und alt, so außerhalb der H. Ehe geboren, si seynd gleich von ledigen, einer oder zweyen ebelich Verheyraetheten, zu nabe gesipten, befreundten oder verschwaegerten Personen, oder aus anderen in Rechten verbotenen Vermischungen, wie die alle saemtlichen oder besonders geschehen und fürgangen, oder immer Namen haben moechten, erzeuget, legitimirend und ehrlich machen, und mit denselbigen ihrer unschuldigen Macul und Vermailigung oder unehelichen Geburt halben dispensiren, solche Macul und Vermailigung ganz aufheben, vertilgen, abtun und sie in die Ehre und Würde des ebelichen Standes setzen und erheben also, dasz denen, so, wie obstehet, von ihme geebliget und legitimiret worden, solche ihre uneheliche Geburt weder inner- noch außerhalb Gerichts, noch sonstien in keine andere Weise zu einiger Vnehr, Schmach oder Verwerfung vor gehalten, noch sie deren in einigen Handlungen oder Sachen im geringsten nicht entgeltten, sondern an allen Orten und Enden für ebelich gehalten, gesprochen, erkannt und zu allen Ehren, Würden, Geist- und Weltlichen, Bürgerlichen und andern Aemtern, Staenden, Zünften und Handwerken, wie andere, so von Vater und Mutter ebelich geboren seyn, angenommen und zugelassen werden, und derselben auch aller und jeder Gnaden, Freyheiten, Vortheil, Recht, Gerechtigkeit und gute Gewohnheit mit Leben und Aemtern anzunehmen, zu empfahen, zu haben und zu tragen, Leben und alle andere Gericht und Recht zu besitzen, Vortheil zu schoepfen und Recht zu sprechen, in allen und jeden Staenden und Sachen faebig, dessen alles empfaenglich und darzu tauglich und gut seyn, auch ihrer Vater, Mutter und Geschlecht Namen, Stand, Schild, Helm und Kleinod haben und führen, sich auch deren zu allen ehrlichen Sachen und nach ihrem Willen und Gefallen gebrauchen, auch aller Erbschaften, es sey durch Testament, letzten Willen, Donarion, ab intestato, und in alle andere Wege faebig und theilhaftig seyn, auch sich dessen alles jedes samt und sonderlich freuen, gebrauchen und genießen von allernaenniglichen unverbindert, darzu moegen und sollen solche legitimirte Personen in allen und jeglichen Geist- und Weltlichen, durch letzten Willen, Geschäften und in andre Wege auch ab intestato, bevorab

vorab und insonderheit ihrer Vaeter, Mütter und Befreundten ohne Mittel in Leben und eigenen, beweglich und unbeweglichen Gütern succediren, und dieselben gleich, ob sie von ihnen aus rechthablichem Stande gebohren waeren, erben &c. &c.

§. XVI.

Exponitur sententia eorum, qui summam maximamque tribuant vim & auctoritatem hodiernae huic legitimati per Rescriptum Principis.

Atque his veluti subsidiis firmati progrediamur, & de natura, vi & effectu hujus hodiernae per rescriptum principis legitimati cogitemus. Qua in re, qui verbis, utique significantibus, eorum, quae dedimus documentorum, prout jacent, pertinaciter inhaerent, posthabitis moribus patriis, rerumque publicarum nostrarum statu & conditione, si non possunt, quin summam maximamque tribuant huic legitimati hodiernae vim & auctoritatem, & tantam, quantam ei vnuquam tribuit olim JUSTINIANVS ejusque administer TRIBONIANVS in Jure Romano. Namque, vt initium faciamus ab hominum nobilium filiis naturalibus & praeter leges procreatis, PETRVS FRITZIVS, RUDOLPHVS GODOFREDVS KNICHENIVS, SEBASTIANVS FESCHIVS, JOANNES BAPTISTA CHRISTYNAEVIS aliisque plures, excitati ab JOANNE GEORGIO CRAMERO V. C. k) Imperatorem, ajunt, & alios, qui summa gaudent in republica quauis potestate, omnium dignitatum esse fontes, & natalium vietum prorsus cluere atque plenissimam illegitimis vel restituere, vel conferre posse nobilitatem, atque proinde, si in diplomate Imperatoris vel alterius cuiuscunq; imperantis, nobilitatis paternae expressis verbis facta fuerit mentio, quin ita legitimati ad omnes nobilitatis praerogatiwas & honores admittendi sint, plane dubitandum non esse arbitrantur. Hos itaque si audias, nobilium hominum filii, extra matrimonium procreati & legitimati ab Imperatoribus, consequuntur per hanc suam legitimationem nomen patris

k) loc. cit. Cap. IV. §. 2. pag. 194. 195.

patris sui, ejusque nobilitatem, capaces sunt insignium in scutis & galeis, tamquam qui eminent auita nobilitate ingenuitateque, Ritterbürtige und Stiftsmaessige Adels-Personen, Ritter- und Land-Tags faehige Adeliche, die Ritter- und Stiftsmaessigen Herkommens sind, vollburtige Ritters-Leute, die ihre Ahnen mit Schild und Helm beweisen koennen, vier-schildige, acht-schildige, sechs-zeben-schildige Edelleute, vti curiae Germaniae & JCti in scholis suis loqui amant, consequuntur porro jus succedendi patri suo tam ex testamento, quam ab intestato in omnia illius bona feudalia & allodialia, omniaque reliqua emolumenta, quae concedunt Jura liberis legitimis, iustis, suis. Tot autem tantaque comoda cum ex sententia virorum ab initio hujus §. laudatorum, sequatur filius hominis nobilis legitimatus per rescriptum principis, facile potest cognosci, ipsum etiam patrem, a cuius persona singula haec emolumenta deriuantur in filium, per illius legitimationem adquirere jura potestatis patriae, quia haec, & quae antea dixi, reciprocum semper habent respectum. Sed vt absoluamus viam quam ingressi sumus: transimus ad ciuium oppidanorum, ceterorumque hominum plebejorum liberos illegitimos, eorumque legitimationem per rescriptum principis, cui aequa magnam in scriptis & scholis JCtorum tribui vim & auctoritatem, toto die videmus. Qui hos per rescriptum principis legitimatos filios patribus suis vi hujus legitimationis ab intestato, tamquam suos heredes, legitimos iustosque filios succedere dicit, omnia dixisse censendus est. Atque ita, si soli sint per rescriptum principis legitimati, dixit SAMVEL STRYCKIUS, 1) quando ait, *Legitimi per rescriptum principis cum liberis legitime natis non succedunt, sed ab his excluduntur.* Distinguendum tamen, an liberi justi ante hanc legitimationem jam exsisterint, an postea superuenierint. Illo casu obtinent dicta, ob hanc rationem, quia liberi justi jus quae-
sum habuere, antequam reliqui legitimarentur, quod ipsis ablatum non censetur. Posteriori casu legitimati cum iustis aequaliter succedunt, quia illi per legitimationem sibi successionis jus quaesuere, dum facti sunt sui & in potestate, antequam hi in re-

E

rum

1) De Successione ab Intestato. Dissert. I. Cap. II. §. 72.

rum natura existerent. Ergo ab his excludi minime possunt; nec
jus suitatis legitime quaesitum ex accidenti revocandum. Et alio in
loco ita de hac re ait: m) Regulariter per rescriptum principis
hac formula legitimantur liberi illegitimi, quod per omnia liberis
ex legitimo matrimonio suscepitis comparari eodemque cum ipsis
jure vti debeant. Ergo quoque parentes ipsorum pariter censemun-
tur, quam si ex legitimo toro hos suscepissent liberos. Ita STRYCK-
KIVS hic suo tempore totius Germaniae praceptor, atque praec-
ter eum, ita, vti dictum, existimat SIMON VAN LEEVWEN, n)
GEORG. ADAM STRVVVIS o) aliquie quam plurimi, quos
singulos excitare nolo. Hos itaque JCTOS, quorum sententiam in
praesenti §. exposuimus, si audiamus, inter hodiernam & istam
antiquam Romanam legitimationem per rescriptum principis non
tantum summa maximaque intercedit similitudo, sed potius ho-
dierna legitimatio per rescriptum principis eadem ista est, quam
introduxit JVSTINIANVS, & cum hac Justinianea, si pauca exci-
pias capita, per omnia conuenit.

§. XVII.

*Ea, quae sententiae §. anteced. propositae opponi possunt
& debent, exponuntur.*

Sed tantum abest, vt patrii mores, vt rerum publicarum
nostrarum facies atque conditio, vt leges Germanorum prouinciales,
& praxis quotidiana huic dictae sententiae subscribant, vt
potius quam longissime ab ea recedant, eamque semper tamquam
rem moribus patriis plane contrariam improbarint. JVS PRO-
VINCALE ALAMANNICVM p) jam olim hac de re dixit:
Gewinnet ein Mann einen Sohn unebelichen, den mag der Papst wohl

m) loc. cit. Differt. II. Cap. I. §. 50.

n) In Censura forensi. Libr. I. Cap. III. §. 13.

o) In Syntagm. Jur. Civil. Exercit. III. Libr. I. Tit. VI. §. 55.

p) Cap. 371. adde Cap. 373. quo in capite tamen verba, quae huc
pertinent, in Meischneriana Edit. desiderantur.

wohl zu einem Ehekind machen, und auch der Kayser nach seinem Rechte, als wir hernach wollen sagen. Aber der Pabst noch Kayser moegen ihm das Recht nimmer geben, dasz sie erben mit andern Magen, als ob sie in ihrer Mutterleib Ehekind waeren gewesen. Hinc leges gentium Germanicarum Feudales a successione in feuda plane excludunt quosecumque legitimatos. JVS FEVDALE SAXONICVM ait, q) Vnd die unehelich gebohren sind, und alle, die nicht von Ritters Art von Vater und von Elter-Vater gebohren, die sollen Lehn-Recht darben. Atque cum his Germanorum moribus antiquioribus ex omni parte conueniunt Jura patria recentiora prouincialia. Sic v. g. Serenissimus Saxoniae Elector MAVRITIVS jam olim lega publica constituit. r) Wiewohl Wir denen von der Ritterschaft, oder andern Vnsfern Lehn-Leuten die Ehe mit denen Personen, mit welchen sie vor der Ehe Kinder gezeugt, nicht verbieten: So wollen Wir doch hinfurder auf Ansuchen und Bitte, so mehrmals durch unsre Landschaft und den grossen Auschufz derselben unterthaeniglich vorgewandt, keinen Vnseren Leben-Mann derer Kinder halben anders, dann vor sich und seine EHELICHE GEBOHRNE LEIBES-ERBEN beleihen. FERDINANDVS III. Imp. legem, huic Saxonicae per omnia similem dedit Bohemis s) per verba: Also constituien, setzen und ordnen Wir, dasz nicht weniger in diesen Vnsfern Erb-Koenigreiche Boheimb derley außer der Ehe gebohrne Kinder, sie werden gleich per subsequenz matrimonium, oder von den Koenigen zu Boheimb, oder sonst legitimire, - - - der Besitz und Erbung allerdings unfaebig seyn. Taceo Recessum Prouincialem Brunswicco Guelphitanum de anno 1601. & priuilegia nobis
E 2
limum

q) Cap. 2. & 21. Adde Jus Alaman. Cap. I. §. 4.

r) In Ordinat. Provinc. Saxon. de anno 1543. Tit. von denen aus der Ritterschaft & cet. Cod. August. Tom. I. pag. 19.

s) In Declar. Ordinat. Provinc. Bohemicae Art. XX. apud LVNIGIVM Tom. I. Collect. nouae. Von der Landesaesigen Ritterschaft in Teutschland. pag. 50.

lum Brunschwico-Guelphicorum, t) Recessum Prouincialem Ducatus Pomeraniae de anno 1654. u) Ordinationem Politicam Magdeburgicam x) & alia Jura Prouincialia Germanica plura, quae omnia legitimatos ab omni successione feudali excludunt. Quin imo, ne nobiles quidem, auita & impolluta nobilitate conspicui, in suum confortium ingredi patiuntur hos nobilium liberos naturales per rescriptum legitimatos, ludis sane equestribus interesse iis non permittunt, neque eos recipiunt aut Canonorum Cathedralium, aut Statuum prouincialium collegia aut aliae nobilissimorum virorum societates, prouti cum cura demonstrauit JOANNES GEORG. CRAMERVS V. C. y) Neque nullo haec ita fieri jure existimare debemus. Ipsi enim Imperatores hunc Germanorum rigorem, quo legitimatos quoscumque a iuribus & praerogatiis nobilitatis auitae & incorruptae repellunt, bene norunt, neque tamen vnuquam eum aut reprobarunt, aut ad recipiendos legitimatos collegia equestria sua auctoritate compulerunt, sed illum potius interdum expresse approbarunt, cuius rei exemplum praebet sanctio FERDINANDI III. ab initio hujus §. laudata. Quae cum ita sint, facile potest cognosci, per legitimationem per rescriptum principis liberos hominum nobilium naturales secundum mores patrios neque nobilitatis auitae & incorruptae jura & praerogatiis consequi, neque successionem in feuda. Sed quid dicendum de successione in allodia? Hoc respectu inter nobilium hominum, ciuium oppidanorum & plebejorum liberos extra matrimonium procreatos & per rescriptum legitimatos nullam adesse puto jurium diuerositatem, quare de iis omnibus conjunctim & vniuersle agamus. Et quamuis D. D. antecedenti §. laudati his liberis legitimatis successionem ab intestato tribuant, nihil tam sicut patrios mores & praxin quotidianam in

t) Vid. LVNIGIVM in *Collect. nou. cit.* Part. II. pag. 159. & EJVS-
DEM *Corpus Juris Feudalis Germanici*, Tom. II. pag. 1460.

u) Apud EVNDEM Part. II. *Collect. nouae*. pag. 217.

x) Cap. XXXXIV. §. XIV.

y) loc. cit. Cap. IV. §. II. pag. 196. 197. 198.

in omnia alia ire, quam qua eunt JCTi allegati, toto die animaduertimus. Certe, vbi legitimati per rescriptum patrum suorum exstiterint heredes ab intestato, de ea re mihi ne vnicum quidem succurrit exemplum, e contrario vero, vbi ejusmodi legitimati successionem ab intestato petentes, acceperint repulsam, ejus rei hinc inde plura exstant, veluti apud JOANNEM HENRICVM DE BERGER, z) vbi *Jacobus K.* procreatus extra matrimonium ex patre J. K. & matre A. J. postea vero legitimatus per rescriptum, post mortem patris sui petiit successionem ab intestato in hereditatem paternam, sed, deducta ea re in judicium, prorsus exclusus est ab hereditate paterna per sententiam: *So seyd ihr Jacob K. an J. K. Verlassenschaft einen bestaendigen Anspruch zu machen und dessen Wittwe oder Kinder dieserwegen zu belangen nicht befugt.* V. R. W. Sed dicis fortasse, haec ita, ut dictum, obtinent, si legitimatio per rescriptum facta sit ad instantiam liberrorum, inscio vel inuito patre. Patre vero petente eam fieri posse etiam exstantibus liberis iisque legitime natis ad effectum succedendi cum legitimis, modo his salua maneat legitima, ut ait JOANNES HENR. DE BERGER. a) Enimuero ad haec cum GEORGIO BEIERO b) respondeo: *Patris precibus legitimacionem esse imperatam, Germania forte nondum percepit, nec facile percipiet, ex causa, de qua §. seqq.* Quibus omnibus hoc vnicum addo, mores patrii hac in re adeo abhorrent a sanctionibus Juris Romani, ut, etiam si consenserit pater in legitimacionem filii sui extra matrimonium procreati, nihil tamen feciis deneget filio hoc modo legitimato successionem in bona paterna, cuius rei praeclarum exstat exemplum apud JVST. HENNING. BOEHMERVM

E 3

MERVM

- 2) In *Consilii Juris, Conf. 1176.* pag. 1104. 1105.
- a) In *Oeconomia Juris Libr. I. Tit. III. §. XIII. nota 7. 6.* pag. 142. Adde SAMVEL STRYCKII V. M. Tom. I. Libr. I. Tit. VI. §. 16.
- b) In *Disquisitione de Vsi Juris Romani in causis Jus personarum in Germania concernentibus,* quae praemissa EJVS Delineationi Juris Germanici cura CHRIST. GODOFR. HOFFMANNI edit. pag. 40.

MERVM, b) vbi David Joachim B. extra matrimonium procreatum filium Richardum B., sed postea consentiente patre legitimatum per rescriptum, in testamento suo, deinde condito, praeterit, atque nil nisi legatum 200 flor. reliquit. Filius praeteritus Richardus B. impugnat testamentum paternum per querelam iu officiosi, sed JCTi Halenses anno 1728. responderunt: Dafz Klaegers Suchen gestalten Sachen und Vmstaenden nach nicht allein nicht finde, sondern auch derselbe des ihm in den qu. Testamento ver machten Legati derer 200 flor. nunmebro vor verlustig zu achten, wie auch die verursachten Vnkosten dem Beklagten nach deren vor gehenden Liquidation, und darauf erfolgter Richterlicher Maessigung zu erstatthen schuldig sey. V. R. W.

§. XVIII.

Causa hujus dissidii inter Theoriam & Praxin doctrinae de Legitimatione per Rescriptum Principis.

Exposuimus hucusque varias easque immanes opinionum dissensiones in doctrina de legitimatione per rescriptum principis hodierna. Tempus est, vt cogitemus, quae sit causa hujus dissidii inter Theoriam & Praxin summi maximique. Nullo autem alio ex fonte haec opinionum dissensio, quam, vt ego existimo, ex isto communi descendit, nimurum ex incongrua praxi Juris Romani, quae, vt in aliis juris capitibus quam plurimis, ita etiam in hac doctrina in diuersum trahit Jure consultos. Namque, qui filium, extra matrimonium quae situm, per legitimacionem consequi ajunt jura & praerogativas nobilitatis paternae, nomen patris, successionem ab intestato in illius bona & reliqua jura filii legitimi, justi, sui, qui patrem dicunt, per legitimacionem hanc adquirere jura potestatis patriae in filium legitimatum, ii omnem hanc hodiernam legitimationem per rescriptum ex jure Romano deriuant, ejusque effectus ex istius juris peregrini decre

tis

c) Consultat. & Decisionum Juris. Tom. II. Part. I. Decis. XXVI.
pag. 32. 33.

tis determinant. Sed patrii mores rerumque publicarum nostrarum conditio non patiuntur hanc Juris Romani applicationem, atque merito ab ea abhorrent. Etenim ex Juris Romani decretis non legitimantur, nisi liberi naturales illegitimi, id est, vti diximus, e concubina procreati, non spuri, non adulterini, non incestuosi, ex rationibus §. VII. adductis. Hic autem concubinatus apud Romanos honesta admodum & licita erat consuetudo, atque ipsa concubina ab legitima vxore solo delectu, & animi destinatione, & dignitate differebat, & vxoris loco habebatur in domo. Sed hodie hic concubinatus seuera lege prohibitus est, non tantum in jure Canonico, d) sed & patrio Germanico, eoque tam vniuersali, e) quam particulari f) adeo, vt in eum seuerius, quam in stuprum animaduertatur. Deinde olim apud Romanos legitimatio erat modus adquirendae patriae potestatis, quae patri ad capessenda varia propter liberos priuilegia & ex alia causa admodum lucrosa erat. Cum vero beneficia nemini obtrudantur, pater filii sui naturalis legitimationem ipse petere debebat, atque sine rubore facile petere poterat, quia concubinus, ex quo hic illius filius erat procreatus, nulla turpitudine laborabat. Sed apud Germanos ceterasque originis Germanicae gentes, vti recte obseruauit GEORGIVS BEIERVS, g) & JOANNES GOTTLIEB HEINECCIUS h), patria potestas semper ad liberorum magis, quam ad patris uitilitatem fuit comparata. Hinc pater petens hodie legitimationem liberorum suorum illegiti-

d) Vid. JVST. HENNING. BOEHMERI *Jus Ecclesiasticum Protest.* Tom. II. Libr. III. Tit. II. de cohabitatione Clericorum & mulierum, passim in primis §. 22. &c. Item Tom. IV. Libr. IV. Tit. VII. *Qui filii sint legitimi.* §. 15.

e) Vid. inter Recessus Imperii Ordinationem Politicam de anno 1577. Tit. 26.

f) V. gr. quoad Saxoniam Electoral. vid. *Ordinat. Polit. de anno 1550.* in Ced. Aug. Tom. I. pag. 32.

g) In Specim. Jur. German. Libr. I. Cap. XXVI. §. 7. pag. 112.

h) In Elem. Jur. German. Tom. I. Libr. I. Tit. VII. §. 145. pag. 110.

illegitimorum admodum mediocre & paene nullum habet communum, cumque concubinatus aequa, ut omnis alia cohabitatio praeter matrimonium prorsus prohibitus sit, pater, qui petit legitimacionem filii sui, per hanc propriam delicti sui confessionem non tantum opprobrio ludibrioque populi, sed praeterea etiam seueritati legum earumque animaduersioni se exponit. Et ex his causis §. anteced. cum BEIERO dixi: patris precibus legitimacionem esse impetratam, Germania forte nondum percepit, nec facile percipiet. Nihilo tamen feci in Legitimatione Romana omnino necesse est, ut petat pater, quia per eam filius legitimatus patris si heres suus, inuitio autem, patri heres suus agnasci non potest. His paucis, quae, vti opinor, satis euincunt, quam male Jura Romana de legitimatione per rescriptum principis ad nostras respublicas hodiernamque legitimationeni per rescriptum applicentur, Jcti summi GEORGII BEIERI, i) de ea re sub-jungam judicium, qui, *Verum enim vero, inquit, postquam hodie in concubinatum seuerius, quam in stuprum animaduerteritur, iisque omni fauore & tolerantia pristina destituitur, non argutatio est, sed prona & perspicua illatio, neque naturales amplius, neque alios illegitimos legitimatione Romana frui posse, totumque Romanae legitimationis usum non ex jure ciuili, sed contra id ipsum receptum esse, quin potius Justini Imperatoris effato locum dandum fuisse: nimis esse indignum, nimis item impium, flagitiis praefidia quaerere, vt & petulantiae seruire liceat, & jus nomenque patris, quod eis denegatum est, id alio legis colore presumatur.* Sed tu dicis, publica ista, quae §. XV. dedimus, documenta legitimatione per rescriptum hodiernae expresse satis omnes istos tribuunt effectus, quos ei olim dedit JVSTINIANVS, & proinde de nulla alia, quam de legitimatione per rescriptum Romana loquuntur. Atque ita quidem est, sed ob eam causam sententiam meam non muto. Etenim haec omnia nos non adiungunt, ut justissimos Imperatores his suis concessionibus & priuilegiis patris moribus, iuri Romano contrariis, praejudicium inferre, iisque derogare

i) Vid. EJVS Disquisitionem de Vsu Juris Romani in causis Jus personarum in Germania concernentibus. loc. cit. pag. 38.

derogare aut velle aut posse credamus. Praeterea nescio, jure ne, an injuria agam, si dicere ausim, eos, qui ejusmodi priuilegia caesarea concipiunt, id quod ab ipsis Imperatoribus haud fieri solet, vel ex juris Romani nimio amore partiumque studio, vel ex juris formularis recepti auctoritate contra mentem summi Legislatoris has Juris Romani lacinias retinere, dictisque tabulis inferre. Hujus rei, certe, non desunt exempla atque eorum olim jamjam dederunt nonnulla Illustr. CAROLVS GVLIELMVS DE GAERTNER k) & beatus JOANN. GOTTLIEB HEINEC-CIVS l) e quibus vnum tantum addere volo, scilicet JCtus, qui jussu & auctoritate Serenissimi Saxoniae Electoris AVGUSTI, constitutiones Saxonicas fecit, inter alia inquit, m) *Weil in den Saechsischen Rechten nirgends zu befinden, das die vaeterliche Gewalt insonderheit aufgehoben, so bleibe auch dieselbe nochmals nicht unbillig bestehen, sine omni dubio, contra mentem summi Legislatoris & ex nimio Juris Romani amore.* Etenim patria potestas Romana, id quod scire debebat iste JCtus, in Germania & apud Saxones numquam in usu fuit, atque igitur nulla indiget abrogatione. Ex his autem hucusque dictis satis, opinor, superque constat, omnem istam opinionum dissensionem in doctrina de legitimatione per rescriptum principis hodierna descendere ex incongrua Juris Romani applicatione, dictamque haec legitimacionem non ex isto peregrino jure, sed ex alio omnino fonte deriuardam, ejusque effectus ex aliis principiis esse dijudicandos.

§. XVIII.

Apud Germanos semper miserrimam fuisse conditionem liborum extra matrimonium quae sitorum ostenditur.

Vt itaque in plena luce ponatur nobilis haec, nec adhuc, vt
F optes,

k) Vid. *Dissert. qua Juri Romani distinctionem inter dotem & paraphernam foris Germaniae non esse accommodandam probatur*, §. XI. pag. 30. 31.

l) *ELEM. JUR. GERMAN.* Tom. I. Libr. I. Tit. VI. §. 144. pag. 108. 109.

m) *Constit. Electoral. Saxon.* Part. II. Conf. X. Cod. Aug. Tom. I. pag. 87.

optes, vbique satis expedita quaestio, age, quid tandem sit hodierna per rescriptum principis legitimatio, dispiciamus. Quam rem vt ab ovo veluti repetamus, silentio praeterire non debemus majorum nostrorum summam maximamque, quam veteres tot semper tantisque celebrant laudibus, castitatem pudicitiamque. *Seuera apud Germanos, ait TACITVS, n) matrimonia.* Nec ullam morum partem magis laudaueris. *Nam prope soli barbarorum singulis exoribus contenti viuunt.* Idem refert o) esse ciuitates, in quibus tantum virgines nubant & cum spe votoque vxoris semel transfiguratur. Adstipulatur TACITO JVLIVS CAESAR, qui p) intra vicefimum annum feminae notitiam habuisse, in turpissimis rebus ab iis haberi tradit, quin, si ei fidem habemus, nudi homines virginibus parum a statuis differre visi sunt, quia nulla pubertatis occultatio fuit, utroque sexu promiscue lavante in fluminibus, magna parte corporis nuda. q) His itaque bonis opinionibus cum tenerum statim animum imbuuerent Germani, nemo mirabitur, quare apud eos publicatae pudicitiae nulla unquam fuerit venia. *Non forma, non aetate, non opibus maritum inuenit ejusmodi femina.* Nemo enim illic vitia rideret, nec corrumpere & corrumphi, seculum vocatur, vti ait TACITVS. r) Non vero femina tantum, quae suam in propositulo habuerint pudicitiam, verum etiam liberi exinde procreati ludibrio hominum despiciuntque maximo semper erant expositi. Qui infames hos dicit, omnia dixisse videri potest, atque ita eos dixerunt maiores nostri. Ut taceam testimonia antiquiora, SPECVLVM ALAMANNICVM ait: s) *Alle die Vnebelich geboren sind, oder die Diebheit, oder den Straffen-Raub vergolten haben, und des mit Gericht*

n) *De Morib. German. Cap. XVIII.*

o) *loc. cit. Cap. XIX.*

p) *De Bello Gallico Libr. VI. Cap. XV.*

q) CAESAR *de Bello Gallico. Libr. VI. Cap. XXI. Libr. IV. Cap. I.*
TACITVS *de Moribus German. Cap. XVII. XX.*

r) *De Moribus German. Cap. XIX.*

s) *Cap. 410. Adde Jus Prouinc. Saxon. Libr. I. Art. 38.*

Gericht bezwungen sind, oder Haut und Haar erlediget haben vor Gericht, die sind alle Rechtloß. Cumque infames omnium dignitatum munerumque publicorum, etiam olim apud Germanos prorsus fuerint incapaces, idem etiam de iis dicendum, qui extra matrimonium erant nati. Igitur non poterant esse Judices, nam *Ein Richter soll ein Ehekind seyn* ait JVS PROVINCIALE ALAMANNICVM. t) Et quia in aduocato idem exigit JVS SVEVICVM, quod in judice: simili ratione spurii postulare prohibebantur. u) Arcebantur porro a testimonii dictione, x) aduocatorum praefidio habebantur indigni, y) hereditatis paternae aequae ac maternae erant in capaces. z) Delicto aliquo laeti, poena, quae iis adjudicabatur, dicta die *Busse* nullius fere momenti & pretii erat. Ita enim de ea re ait JVS PROVINCIALE SAXONICVM: a) *Pfaffen Kinder und die Vnebelich gebobren sind, denen giebt man ein Fuder Heu, dasz zwey jaehrige Ochsen ziehen koennen, zur Busse.* Et paulo post: *Vnebelicher Leute Busse giebt wenig Nutzen, ist aber doch darum gesetzt, damit auf die Busse des Richters Gewette folge.* Etenim vbi cessabat poena priuata die *Busse*, ibi cessabat etiam publica, quae judici soluebatur, die *Wette*. Et deinde: *Vnebeliche Leute sind ohne Wehrgeld, doch wer ihr einen verwundet, oder beraubet, oder toedtet, oder ein uehlich Weib nobruechtiger, und den Frieden an ihr bricht, über den soll man nach Friedens - Rechte richten.* Praetereo reliqua, quae miseram illegitimorum apud majores nostros conditionem declarare possunt, mediis aeuii testimonia, ne cui, quos mihi circumscripti, terminos transgredi velle videar.

F 2

§. XX.

t) Cap. 73.

u) Cap. 74. Adde *Jus Prouinc. Saxon. Libr. I. Art. 6.*x) Vid. *Jus Prouinc. Saxon. Libr. II. Art. 36.*y) Vid. *Jus Prouinc. Alamann. Cap. 327. Jus Prouinc. Saxon. Libr. III. Art. 16.*z) Vid. *Jus Prouinc. Alamann. Cap. 164.*a) *Libr. III. Art. 45.* Adde *Jus Prouinc. Alamann. Cap. 397.*

§. XX.

Qstenditur, spuriorum conditionem hodie non multo meliorem esse, quam eam olim fuisse diximus.

Nostris quidem temporibus frēquentes admodum sunt surtiui amores, sed, cum, quidquid de insigni majorum nostrorum easitate jactant scriptores veteres Romani, id omne comparatiue sit intelligendum, cum sanctiora quidem semper Germanis fuerint matrimonia, quam Romanis, ideo tamē non prōsuis incognita supra, adulteria, foedaeque libidines; laudem, quam Germani ideo promeruerunt, quod prisca majorum instituta religiose semper feruarint, ob eorum glīcentes indies libidines iis proflus denegare nolo. Certe adhuc hodie morum priorum tenacissimi sunt iultim quoad odium, quo prosequuntur prostratae pudicitiae feminas liberosque, quos parentum improbitas sine culpa pessundedit. De muliere virtuata satis cognita est Paroemia Juris Germanici: *Der wissenschaftlich eine Hure, oder Geschaendete nimmt, ist entweder ein Schélm, oder will einer werden.* b) Minori autem hodie semper notari infamia leuisque notae macula laborare omnes, qui extra matrimonium sunt procreati, homines, & proinde ab omnibus excludi honoribus, muneribusque publicis, inter omnes satis superque constat. Ex Juris Canonici principiis a sacris ordinibus remouentur spuri, c) qui apud ipsos etiam Protestantes aegre interdum admittuntur, prout docuit JVSTVS HENNINGVS BOEHMERVS. d) Neque ecclesia tantum, sed & respublica spurios excludit a dignitatibus & muneribus publicis. Hinc ait Paroemia Juris Germanici: *Die Aemter und Zünfte in den Staedten müssen so rein seyn, als wenn sie von Tauben gelesen waeren, hie, was uehrlich ist, koennen die Aemter nicht leiden.*

b) De ea vide JOANN. NICOL. HERTIVM de Paroemis Juris German. Libr. I. Paroem. XII. Oper. Vol. II. Tom. III. pag. 273.

c) Vid. JVST. HENNING. BOEHMERI Jus Ecclesi. Protest. Tom. I. Libr. I. Tit. XVII. §. 1. 2. pag. 510. scil.

d) Ioe. cit. §. 7. 3. pag. 513. 514. 515.

den. e) Atque vi hujus paroemiae & ex consuetudine inueterata illegitimi in numerum ciuium oppidanorum haud recipiuntur, sed quicunque peregrinus, qui aliquo in loco jura ciuitatis ambire vult, priusquam admittatur, siue per litteras natalitas, *Geburts-Briefe*, siue per testes fide dignos probare debet, se esse legitimam sobolem parentum suorum. f) Similem rigorem eumque longe majorem deprehendimus apud opifices, qui neminem in disciplinam & collegium suum recipiunt, aut magistri vocabulo dignantur, nisi qui testimonia legitimorum natalium exhibuerit. Ipsi rustici hac in re difficiles sunt & refert JOANNES GOTTLIEB HEINECCIVS, g) rusticu cuidam extra matrimonium nato, & a praefecto Sculteti honore ornato, ob eam rem status controuersiam a reliquis rusticis fuisse moram. Quin imo tam misera apud Germanos est conditio illegitime natorum, vt non tantum olim Imperatores, verum etiam ex Eorum concessione hodie nonnulli Principes, veluti Electores Palatini & Landgrauii Hassiae eos in seruitutem vindicent, atque tamquam *Wildfangios* & homines proprios sibi subjiciant, de qua re prolixe egit Vir de Jurisprudentia patria immortaliter meritus JOACHIM. POTGIESSERV. h)

§. XXL

Legitimationis per Rescriptum Principis hodiernae origo, causa & indoles.

Itaque infamia notantur minori & leuis notae macula labo-rant tam publicatae pudicitiae feminae, quam quos fortius ea-rum amor peperit, liberi. Et feminae quidem recte suae, quas
dixi,

F 3

e) Vid. JOANN. NICOL. HERTIVM I. c. Paroem. XIV. pag. 276.

f) Vid. CHRISTOPH. BESOLDI *Thesaurum Practicum* voc. Burger.

g) In Dissert. de leuis notae macula. §. XXXV.

h) In Comment. *Juris German.* de Statu Seruorum Libr. I. Cap. I. §. XII. pag. u. 12. & Libr. I. Cap. IV. §. XX. XXI. pag. 188. 189. 190.

dixi, impudicitiae dant poenas, quas tamen *Canonicum Jus* admodum minuit, quando misericordiae genus in matrimonio cum meretrice collocat. i) Liberorum autem extra matrimonium procreatorum sors miseranda potius, quam odio prosequenda est, & recte *CALLISTRATVS* k) *Crimen*, ait, *vel poena paterna nullam maculam filio infligere potest. Namque unusquisque ex suo admisso sorti subjicitur, nec alieni criminis successor constituitur.* Sed, sic est vulgus, ex veritate pauca, ex opinione multa aestimat, atque haec illius opinio de spuriorum infamia est vna altissimis defixa radicibus, quae vix vnuquam vlla vi labefactari potest. Ne itaque Spuriorum industria honestam operam, vnde habeant, de quo videntur & qua reipublicae profitantur, suscipientium sufflaminetur, sed adjuuetur potius & occasio vitae defutoriae & otiosae, quae ad furtu, latrocinia aliqua crimina plenumque inuitat, praescindatur: Imperatores & Principes hanc vulgi opinionem subreure conati sunt, sed ita, vt obliqua quasi via procederent. Nam ad eluendam hanc natuum maculam addinuenta est ea, quae nostris temporibus vsu perpetuo & quotidiano frequentatur, Legitimatio per rescriptum principis, quae proinde hodie nihil aliud est, quam modus tollendi maculam ex natuitate illegitima contractam, & in lingua patria recte dicitur *desz Erlichmachen*. Hac itaque ratione legitimatus spurius pro iusto & legitimo habetur & ad opificia addiscenda, ad dignitates, honores muneraque publica admittitur. Sunt quidem nonnulla opificum collegia, imprimis ea, quae dicuntur, *geschenkte Handwerker*, quae spurius quoconque modo legitimatos in disciplinam recipere nolunt. Sed hic abusus severa lege eaque vniuersali in Germania prohibitus

i) Cap. 20. X. de *Sponsalibus*; vbi CLEMENS III. *Inter opera charitatis*, inquit, *cum non minimum est, errantem ab erroris sui semita retrucare; statuimus, vt omnibus, qui publicas mulieres de lupanari extraxerint & duxerint in uxores, quod agunt, in remissionem proficiat peccatorum. Rationem hujus epistolae, quam hoc loco addere nolo, dedit JOANN. NICOL. HERTIVS l. c. ad *Paroemiam XII. §. 2. pag. 274.**

k) l. 27. D. de *Poenis*.

prohibitius & abrogatus est per verba. I) Demnach auch oefters vorkommen, dasz bey denen Handwerken, insonderheit bey denen so genannten Geschenkten, zwischen denen unehelich erzeugten, oder nach der Priesterlichen Copulation geborbnen Kindern ein Unterschied gemacht werden wolle, wie auch denen, so von Vns als Roem. Kayfern, oder sonst aus Kayserl. Macht legitimiret worden also, das Theils Handwerker auch diejenige, so auf solche Weise legitimire, oder auch von einem andern noch im ledigen Stand geschwaechre Weibs-Personen beyrabten, oder mit denen, mit welchen sie sich verunkeuchet, zur Straffe copuliret worden, nicht passiren wollen: So soll erstgemeldter Unterschied aufgebohen seyn, und die auf jetztbesagten einen oder andern Weg legitimirte Manns- oder Weibs-Personen wegen Zulassung zu denen Handwerken einander gleich geachtet, und deneselben nichts mehr in Weg geleget werden. In supremis tamen Imperii R. G. judiciis, veluti in Camera Imperiali legitimati non recipiuntur neque inter Assessores, neque in numerum Aduocatorum & Procuratorum, vt videre est apud Juris publici Scriptores, veluti BVRCHARDVM GOTTHELFF STRVVIVM, m) & CHRISTOPHORVM LAVRENTIVM BILDERBECK n) alias.

§. XXII.

*Recensentur summa differentiarum capita, quae intercedunt inter hodiernam veteremque Romanam
per R. P. Legitimationem.*

Ab his itaque initisi causisque profecta legitimationis per rescriptum principis hodiernae origo adeo paullatim inualuit, vt ea

I) Vide *Conclusum Imperii de anno 1731. Von Abstellung derer bey denen Handwerken eingeschlichenen Mizbraeuchen.* §. XI.

m) *In Corpore Juris Publici I. R. G. Cap. XXVI. §. XXI. pag. ion.*

n) Vide *Teutschen Reichs-Staat. Neunter Theil. Cap. IV. §. 5, §. 7.*
pag. 1591. 1592.

ea nostris temporibus quotidiano frequentetur usi perpetuoque. Cumque ea, ut diximus, sit modus tollendi maculam ex illegitima natuitate contractam, non adquirendi patriam potestatem, ut ista antiqua Romana, per quam facile unusquisque potest perspicere, quae tandem & qualis inter utramque intercedat differentia. Per illam antiquam Romanam non nisi naturales illegitimi & ex concubina procreati liberi poterant legitimari & ita recte, ex rationibus, quas alio loco dedimus. Hodie per rescriptum principis legitimantur omnes, qui laborant leuis notae macula ex illegitima natuitate sine sua culpa contracta. Hinc non tantum naturales illegitimi, quos proprie ne quidem habemus ob prohibitum concubinatum, sed & spuri ita legitimantur & ii etiam omnes, inter quorum parentes ne fangi quidem, aut praesumti potest matrimonium, veluti adulterini, in gradu prohibito, jure vel diuino vel humano, editi & incestuosи, nam his omnibus sine sua culpa una inhaeret eademque macula, que tollitur per legitimationem. Quin non tantum illegitimi liberi, sed interdum etiam eorum matres hodie legitimantur ad delendam maculam ex furtivis amoribus contractam, quamvis hujus legitimationis exempla non adeo frequentia sunt. o) Olim per rescriptum principis legitimatio tantum subsidiaria erat, atque non habebat locum, nisi vbi ea, quae fit per subsequens matrimonium fieri non poterat, non habebat praeterea locum, si aderant liberi legitime nati, aut illegitimi ex matre ancilla procreati erant. Nostris temporibus haec omnia cessant. Olim pater illegitimorum non tantum consentire, sed ipse petere debebat legitimationem a principe. Hodie ea fit inscio & inuito etiam patre. Olim naturales illegitimi consentire debebant in suam legitimationem, ne inuiti in alterius redigerentur potestatem patriam. Hodie eorum consensus non quam requiritur necessario, sed mater eorum, ceterique consanguinei, aliquis inscio imo inuito etiam filio illegitimo illius legitimationem a principe petere possunt. Olim pater per filii sui naturalis illegitimi legitimationem adquirebat iura patriae potestatis ipse

o) Vide CHRIST. THOMASII *Dissert. de Usu pratico doctrinac. Instit. de Legitimatione. Cap. II. §. II.*

ipse autem filius legitimatus non famae & existimationi bonaे re-
stituebatur, quam nunquam amiserat, p) sed consequebatur jura
omnia filii familias iusti, legitimi, sui, consequebatur nomen pa-
tris, nobilitatem, hereditatem, alia. Hodie eorum omnium ni-
hil consequitur neque pater, neque filius per legitimationem &
deletur tantum in filio legitimo macula, quae ei ex opinione
vulgi antea inhaerebat ex illegitima illius natuitate. Quae cum ita
sint, facile patet, hodiernam legitimationem per rescriptum prin-
cipis non ex Jure Romano, sed omnino ex alio fonte esse deri-
vandam, ex jure scilicet patrio atque Germanico, Romanam vero
vnu fori non frequentari. Sed queris, nonne vero principes ho-
dierni ad exemplum Juris Romani & cum effectu patriae potestatis
legitimare possunt liberos illegitimos? Et quidni possent? Auto-
ritatem potestatemque iis nemo denegabit vnu, sed deest ob re-
rum publicarum nostrarum conditionem, occasio hoc modo legi-
timandi. Quando enim hunc in finem princeps legitimare debet
filium illegitimum, non ob Juris Romani dispositionem, sed ob
ipsam rei naturam necesse est, vt pater filii legitimandi consentiat
& petat, ne ei obtrudatur filius & heres suus, quem habere vel
non vult, vel cuius etiam pater non est. Sed patris ad instantiam
legitimacionem per rescriptum principis esse factam, Germania
forte nondum vidit, neque vnuquam facile percipiet, vt supra di-
xi, ejusque rei reddidi rationes. Fingamus autem, petere patrem,
& tunc concedo, legitimare posse principes hodiernos ad exem-
plum Juris Romani cum effectu patriae potestatis. Atque hoc fa-
ciens principes, non adstrictus est ad decreta Juris Romani, sed ex
animi sui sententia legitimacioni legem dare potest, quamcumque
vult, dummodo juribus & praerogatiis ab aliis legitimo modo
acquisitis nulla exinde inferatur injuria, id quod tamen nunquam
principes facere velle praeflumuntur. Si autem nihil in specie de-
finitum est a principe in rescripto, sequimur Jura Romanata namquam in
subsidium recepta, tandem, quamdiu rerum publicarum nostrarum fa-
cies atque conditio eorum applicationem permittit. Sed nolumus
end.

G

diutius

p) Vide JOANN. GOTTLIEB HEINECII *Antiquit. Romanae. Libr. I.*
Tit. X. §. XXI. pag. 157.

diutius inherere quaestioni, quae sine dubio nullius est usus in praxi & quam secundum temporum nostrorum conditionem sine periculo referre potes ad rem publicam platonicam,

§. XXIII.

Quis hodie per rescriptum legitimare possit, ostenditur.

Attigi pleraque omnia, quae pertinent ad legitimationem per rescriptum principis tam Romanam, quam hodiernam. Una restat deliberatio, pertinens ad hodiernam, atque ea hic minime est negligenda. Scilicet, quaeritur, quis hodie per rescriptum legitimare possit? Olim ea res vnicce pertinebat ad principem i.e. Imperatorem, atque ideo etiam dicta est haec legitimationis species Legitimatio per rescriptum principis. Et ita recte, fiebat enim haec natalium restitutio per rescriptum, quod est species legum, quas nemo dare potest nisi princeps & legislator. Proinde & nostris temporibus jus legitimandi in unaquaque republica vnicce ad eos pertinet, ad quos pertinet potestas legislatoria, ad principes, reges, imperatores. In I. R. G. itaque competit haec potestas Imperatori, Eique per totum imperium sine exceptione. Praeter Imperatores autem eandem habent potestatem Principes Electores & reliqui Status I. R. G. Atque hodie hanc Principum Imperii potestatem legitimandi agnoscunt recentiores Juris Publici scriptores plerique omnes, multi tamen legitimatos a Statibus Imperii, extra territorium tales non censi contendunt, quoniam potestas principum extra ipsorum territorium se haud extendat. Sed horum omnium sententiam & argumenta examinavit & rejeicit MICHAEL HENRICVS GRIEBNER, atque simul demonstravit legitimatos a principibus Imperii vbique beneficiis natalium legitimorum posse frui. q) Solent deinde Imperatores I. R. G. hanc potestatem legitimandi, vt & creandi notarios, concedendi veniam aetatis & alia per Codicillos Caesareos concedere comitibus

q) In Differt. de Jure legitimandi Principium Imperii. Tom. I. opusculorum Juris Publici. Sect. I. pag. 1 - 33.

bus Palatinis, qui proinde vi hujus potestatis Caesareae in toto Imperio R. G. per diplomata legitimare possunt illegitimos quoscumque priuatorum hominum liberos, in terris tamen principum I.R. G. non sine praescitu & consensu principum, id quod denuo ex instituto probauit laudatus GRIEBNERVS r) adeo, vt his ab eo dictis nil addere valeam, praeter laudem summac & pereruditiae diligentiae. Atque haec potestas legitimandi non personis tantum & Comitibus Palatinis, sed interdum etiam ipsis ipfis rebus quodammodo solet concedi ab Imperatoribus & summis legislatoribus. Sic v.g. Glauchense Orphanotropheum obtinuit priuilegium, vi cuius omnes illegitimi, qui in eo sunt educati, ex ea causa ipso jure natalibus restituuntur & vbique pro legitime natis habeantur. s) Simile priuilegium nostro Gedanenii Orphanotropheo, quod dicitur, das Kinder- und Wäysen-Haus, jam olim datum a Poloniarum Rege glorioissimae memoriae SIGISMVNDO AVGVSTO anno R. S. 1552., quod deinde SIGISMVNDO III. anno 1591. de nouo confirmauit & ampliauit. t) AVGVSTVS III. autem, Qui hodie, vtinam quam diutissime! Poloniae Saxoniaeque felicissime praest, & sub Cujus sapientissimo regimine vitam viuimus adeo tranquillam & fortunatam; Hic, inquam, Patriae Pater nostrorumque temporum Titus alii Orphanotropheo, quod dicitur, das Spend-Haus; nuper simile priuilegium clementissime concessit. u) Summis autem maximisque

G 2

hoc

r) In Dissert. de Jure legitimandi Comitum Palatinorum in terris Principum Imperii. Tom. I. Opusc. Jur. Publ. Seſſ. II. pag. 33-76.

s) Vide JOANN. PETER A LVDEWIG in Dissert. de Ciuitatum dispari nexu. pag. 13.

t) Vide REINHOLD. CVRICKEN der Stadt Danzig Historische Beschreibung. Libr. IV. Cap. X. pag. 343.

u) Cum hoc priuilegium ante paucos abhinc annos, scilicet A. C. 1754. demum fuerit impetratum, atque ob eam causam nondum ita cognitum, vti illud, quod à SIGISMVNDIS olim datum est dem Kinder-Hause, insimul vero doctrinas in praesenti disputatione propositas praeclarare illustret atque confirmet, ipsum hoc

hoc principum nostrorum institutum celebrandum est laubibus, cum hac ratione non tantum miseris istis extra matrimonium quae-
fitis liberis, qui vt plurimum summa cegestate & praeterea leuis no-
tae laborant macula sine sua culpa, sine impenitis & via facilis suc-
curratur, sed insimul etiam ipsa ista loca publica, quibus rerum
publicarum nostrarum salus adeo promovetur, per ejusmodi pri-
uilegia euehantur in altum, vt indies efflorescent magis magisque,
atque exinde omnia ista redundant emolumenta, quae ab iis ex-
pectat respublica, cuius salus vtique semper suprema lex esto.

FINIS.

hoc Priuilegium Regium tamquam appendicem huic nostrae dis-
sertationi addere curauimus. Addidissem & illud, olim a SIGISMUNDIS datum dem Kinder-Hause, sed hoc quidem in ple-
torumque jam jam manibus, atque apud Gedanenses satis su-
perque cognitum est, & conuenit praeterea in plerisque iisque
essentialibus capitibus cum hoc priuilegio Augusteo, hinc ne-
cui fines suos evagata esse videatur disputatio nostra, illud stu-
diose praetermissimus.



APPEN-



A P P E N D I X.

Priuilegium, quo pueri & puellae in Domō pauperum Gedanensi,
Vulgo das Spend-Haus, educari proutis ex legitimo thoro de-
clarantur, atque dictae domus jura & libertates confirmantur.
AVGVSTVS Tertius, DEI Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae,
&c. &c. &c. Significamus praesentibus literis nostris quorum in-
terest vniuersitatis & singulis, quia libenter quaevis egregia ac salutaria Instituta
prouida paternaque Nostra cura souemus, & complectimur, gratum Nobis
omino fuisse, de statu publicarum aedium in Veteri Ciuitate Gedanensi ad ri-
pam fluminis Raduniae anno Domini 1699 extructarum, quae dicuntur *Spend-*
Haus, plenius informari. Intelleximus varia, eaque maximi momenti emolu-
menta, quae exinde in salutem publicam profiscuntur. Domus ista, quae per
antiquo ultraque ducentos annos celebrato Instituto, Eleemosynas dispensandi
dem Spend-Annu, originem debet, non solum proteruam impudentemque men-
dicitatem refrenat, pigrosque & dissolutos homines ab inertissimo otio ad labo-
res adigendo ciuitatem ab importunitate eorum liberat, sed etiam vere egenos,
& de quorum summa inopia, facta praevia inquisitione, constet, collata quoquis
mensa stipe subleuat. Inprimis vero laude dignum institutum hoc duximus,
quod praeterea adfictae & orbatae juuentutis rationem habet. Recipit, alit, ve-
fit, & ad vitam Christiano dignam instituit magnam multitudinem viriusque
sexus infantium vel parentibus orbarorum, vel ita inopium, ut omni suorum au-
xilio priuati, aut miseri pereundi necessitas imposita sit, aut per plateas discur-
rendo, vita & optimae aetas mendicitate perdenda. Cumque saepius accidat,
quod miseri pueri puellaque, de quorum legitimis natalibus non constat, reci-
piantur, ex hoc vero in Domum praefatam insignem grauemque molestiam, ac
perpetuam curam & solitudinem redundare compertum est, propterea, quod
pueri, venientibus annis, ob deficiens de nativitate legitima testimonium, inde
ad honestum quodpiam opificium exire nequeunt. Exinde igitur factum est, vt
cum nunc salutare hocce Institutum nonnulli Consiliarii, Lateri Nostro assiden-
tes, Nobis commendassent, pro Nostra in miseros Gratia, dandum hoc & Nostra
misericordia & Consiliariorum Nostrorum intercessioni, & supplicationi illo-
rum, qui huic domui praefecti sunt, existimauimus, vt omnia jura, ordinaciones,
praerogatiwas & libertates, quibus in praesenti Domus haec gaudet, pro Nostra
Regia authoritate approbaremus, simulque, vt publica haec Domus, das Spend-
Haus, benignitatis etiam Nostrae habeat monumentum, eandem specialibus li-
bertatibus atque praerogatiwas exornaremus, ita videlicet, vt quilibet infans,



vriusque sexus, qui in Domum hanc receptus, & in ea educatus fuit, siue de ejus legitimis natalibus constet, siue non, eo ipso, quod ibidem commoratus est, pro legitime & honeste nato, ac ingenuo haberi, & quidem puer a nemine in descendit tam liberalibus, quam mechanicis artibus sub praetextu dubiae, vel illegitimae nativitatis impediri, vel ab iisdem arceri debet. Vbi ergo pueritiam excederit, erudiendus tradatur, qui in disciplinis a magistris contuberniorum, & artium suscipiendus sub multa ducentorum aureorum Hungaricalium. Nos enim ejusmodi omnes pueros & puellas, quicunque in Domo praefatae educati fuerint, dum fieri possit, ut ibidem & legitime natū, ob ignotos & jam demotuos parentes, in probatione legitimae nativitatis succumbant, ex benignitate & plenitudine potestatis Nostrae Regiae legitimos creamus & honestos proximam esse, neque eliter eos omnes vbiique excipi, tractari atque intelligi a quopiam volumus, quam si sint ex claris, notis, honestisque & legitimis procreati parentibus. Liceat porro pueris, ex disciplina dimissis, artes & opificia, quae didicerunt, libere & sine vlo impedimento, aut exprobatione in servitio apud magistros, tamquam sodales constituti profiteri, & deinde, vbi ipsi magistri facti sunt, eadem plane, vt reliqui ejusdem artificii vel opificii magistri exercere, tyrones docere, sodalesque sibi adjungere & conduceere, ita, ut omnibus juribus, praerogatiuis, immunitatibus, quibus legitimū gaudent, vtantur, fruantur. Quia & ad honores & officia tam Ecclesiastica quam secularia obeunda eos habiles & idoneos esse pronunciamus, audentes paginam hujus Indulti Nostrī infringere, aut praefatos pueros & puellas injuria afficere, multam ducentorum aureorum partem Fisco, partem Domui a dispositione elymosinarum, das Spend-Haus dictae, applicandam incurrit, non soluendi poenam luent carceris. Ne ergo dictis pueris puellisque vel circa opificia, jus ciuium, vel contrahendum matrimonium aliquid impedimento sit, muniendi erunt testimonio a Nobili & Spectabili Magistratu Gedanensi in hanc formam, qua orphanis & pupillis in Orphanotrophio ibidem existentibus succurrirunt. In cujns rei fidem Priuilegium hoc Manu Nostra subscriptum Sigillo Regio muniri jussimus. Datum Warsouiae die VII. mensis Decembr. Anno Domini MDCCLIV. Regni vero Nostrī XXXII.

AVGVSTVS REX.

Adelbertus Radowski

Sacrae Regiae Majest. & Sigilli Majoris
Regni Secretarius.

Nobilissimo

Nobilissimo Ornatisimoque
 RIVORIS Disputationis Auctori QMVS
JOANNI NATHANAEL SCHVLZE
 S. P. D.

MARTINVS GOTTLIEB PAVL.

Quae in omnibus iis, qui litteris se consecrare volunt, praesertim autem in Auditoribus meis vehementer optare soleo, *Nobilissime atque Cari-
 ssime SCHVLZI*, ingenium docile, doctrinae studium egregium, huma-
 niorumque litterarum scientiam non vulgarem, ea omnia in TE ego ab eo
 tempore, quo muneri meo admotus sum, TVque in meam disciplinam
 venisti, luculenter cognoui atque perspexi. Quam itaque statim ab initio de
 TE concepi spem magnam, et me non frustrata est, sed vidi, atque cum ma-
 gna animi mei voluptate cognoui egregios TVOS in Jure profectus, doctri-
 naeque copias indies magis que crescentes. Horum profectuum TVO-
 RVM ante abitum, quem meditari, TVVM publicum adhuc edere consti-
 tuisti documentum, atque hunc in finem conscripsisti Dissertationem bonaे
 frugis plenissimam de Legitimatione per rescriptum principis, me autem non
 modo comitem, qui interessem, sed etiam, qui praecelem laudi TVAE du-
 cem esse voluisti. Disputationem TVAM summa cum voluptate legi & relegi,
 atque TIBI egregium hoc TVAE eruditionis specimen, mihi autem ipsi, qui
 tam magnos cepi tamque praeclaras disciplinae meae fructus, auditorem tan-
 eruditum ex animi sententia gratulor, cupioque, omnia, quaecunque suscep-
 turus aut ingressurus es, bene feliciter ex merito TIBI cedere & euenire.
 TV modo, eam, qua ire coepisti, viam honoris perge, & TIBI numquam
 dignitatis & honoris proemia esse defutura, persuade. Ceterum hoc TIBI
 persuasum habeas velim, neminem esse aut fore, qui ex bonis TVIS & felici-
 tate TVA, me majorem voluptatem capiat, oro autem rogoque, ut amorem
 mihi TVVM semper conserues, credasque me in officiis amicitiae omnibus
 TIBI nauantis praecipuum aliquem voluntatis fructum positum arbitrari. Vale,
 Scribebam Gedani d. xxvii. Aprilis c15 I5 cc LVI.

Sistis, Amice, Tuis jam Te laudabile factum,
 Nam spem conceptam quemque probare decet,
 Perbene cedat opus, quod doctum mittis in orbem,
 Primitiae studii; perbene cedat opus.

Bernhard Alm, Suec.
 Opp. Nobilissimo



Nobilissimo atque Doctissimo
DOMINO JOANNI NATHANAELI SCHVLZ,

P. D. S.

E f v s Opponens
Joachimus Guilielmus Weickhmann,

Joachimius Clemens Wielandini
docebat medicinam, incoloreum Jun. Cult. n. imp. eii studioru ni em

Gratulari Tibi ex animo his verbis mens est egregium istud Tuæ doctrinæ atque singularis diligentiae opus in praesenti hac Dissertatione de legitimatione per rescriptum principis pereleganti publice declaratum. Ex ea, quam de Tuis in nostro Athenaeo suscepisti laboribus & magna in concione, & intra Auditoriorum nostrorum parietes reportasti, laude, felici jam præfigio licet atq[ue]urari, fore, ut aliquando conseruata Tibi a summo Numinе vita ac sanitate, ab exteris Musarum sedibus felix ad patria litora delatus patriæ aequæ ac Nobilissime Gentis Tuæ de Te conceptam spem expreas. Quæ de re, Tibi, Nobilissime harum paginarum Auctor, faustum a Gedano abitionem, prosperum rerum ac studiorum in exteris locis successum, sanitatem & vigorem inconcussum, denique felicem reditum genuina animi propensione appreco. Quod restat, proritas atque animi luentia, quæ Opponentis provinciam oblatam ambabus, ut ajunt, arripiui; testatum Tibi facere potest, quæ animi contentionе omnia, quæ meis relicta sunt viribus, in Te officiis ornandum conferre allaborauerim talisque semper sim futurus. Gratis decenter pro hujus munericis delatione mihi facta exsolutis Tuæ me in posterius benivolentiae summō studio commendatum esse cupio. Valeas. E Museo iv. Nonar. April. d. MDCCLVI.

Sie man Geschamkeit und Tugend soll verbinden,
Kann man, Gechter Freund, an Deinem Beispiel finden,
Das erste beweisst Dein rechte gelehrter Streit,
Das andre tadelst nur der Menschenfeind, der Meid,
Ich werde Deiner Ehy beständig Palmen freuen,
Und mich bey Deinem Glück wie bey dem meinen freuen.

Danzig, den 7. April

1756. Opp.




VD
18

ULB Halle
002 713 802



3

SL,



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Farbkarte #13

Cyan

Blue

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

EXERCITATIO JVRIS

DE

LEGITIMATIONE PER
RESCRIPTVM
PRINCIPIS

PRAESIDE

MARTINO GOTTLIEB PAVLI

JVR. VTR. D. JVR. ET HISTOR. PROF. PVBL. ET ATHEN. INSPECT.

DIE XXVII. APRILIS C¹CC LVI.

IN AVDITORIO MAXIMO

AD DISCEPTANDVM PROPOSITA

AB AVCTORE

JOANNE NATHANAEL SCHVLTZE

-GEDANENSI.

G E D A N I

TYPIS THOMAE JOANNIS SCHREIBERI, SENATVS

ET ATHENAEI TYPOGRAPHI.

